

CURSUS  
PHILOSOPHIÆ  
ARISTOTELICO-  
THOMISTICÆ  
ABBREVIATUS,

*Id est,*

Tractatum Philosophicorum  
omnium Summa,

*Seu*

COMPENDIUM,

*Quod*

In usum Philosophiæ Studiosorum, Repetito-  
rum &c. imo & ipsorum Professorum,

Aliorumque Philosophorum commodum e suis Prælectionibus  
nuper fusius traditis

*Collegit*

R. P. ANSELMUS SCHNELL,

O. S. B. in Imper. Monast. Weingartensi Professus ac Professor  
emeritus; nunc Prior ibidem.

PARS II.

Complectens Tractatus quinque in Physicam Universa-  
lem, agentem de corpore naturali in genere.

*Cum Gratia & Privilegio Sacre Cæsareæ Majestatis speciali, ac Facultate  
Superiorum.*

---

AUGUSTÆ VINDELICORUM,

Sumptibus Joannis Jacobi Mauracher, Bibliopolæ Augustani.

ANNO MDCCXLIV.

CURSUS  
PHILOSOPHIAE  
ARISTOTELICAE  
THOMISTICAE  
ABBREVIATUS

II. CL.  
TRACTATUM PHILOSOPHICORUM  
OMNINIUM SUMMARIUM

COMPENDIUM

In usum Philosophiae Scholasticae, Repetitorium  
et in usum Scholasticorum  
Alumnorum Philosophiae comparatum e suis Praelectionibus

R. P. AUGUSTINUS SCHNEIDER  
O. S. B. in Imper. Monac. Universitat. Professus ac Professor

PARS II.

Completens Tractatus quatuor in Physicam Universalem  
secundum de corpore naturali in genere  
Cum Curis & Privilegio Sacrae Caes. Apostolicae Universitat. ac Facultatis  
Medicinae

AUGUSTINUS SCHNEIDER  
Summus Joannis Jacobi Masercher, Bibliothecae Augustanae  
ANNO MDCCXXIV.



# INDEX TITULORUM PRO PARTE II.

TRACT. I. DISPUTATIO I.  
De principiis Corporis naturalis.

## QUÆSTIO I.

De qualitatibus Physicæ.

*Numerus est Marginalis.*

- ART. I. Quodnam sit objectum Physicæ. n. 1.  
2. An Physica sit scientia? speculativa? n. 19.

## QUÆSTIO II.

De principiis in genere.

- Art. 1. Quid sit principium physicum? n. 34.  
2. Quot sint principia physica? n. 44.  
3. Utrum atomi sint prima principia? n. 65.

## QUÆSTIO III.

De materia prima.

- Art. 1. An, & quid sit materia prima? n. 91.  
2. Num materia prima habeat actum entitativum? n. 101.  
3. An materia prima habeat actum differentialem? n. 117.  
4. Utrum habeat actum existentiae? n. 124.  
5. Num materia prima saltem Divinitus possit existere sine omni forma? n. 146.

## DISPUTATIO II.

De forma, privatione, & composito.

## QUÆSTIO I.

De forma.

- Art. 1. An, & quid sit forma substantialis? n. 173.  
2. Quomodo formæ educantur ex potentia materia? n. 185.  
3. Utrum plures formæ substantiales possint simul esse in eadem materia? &c. n. 202.  
*R. P. A. Schnell, Phil. P. II.*

## QUÆSTIO II.

De privatione.

- Art. 1. An, & quid sit privatio? n. 215.  
2. Quænam privatio sit principium? &c. n. 225.

## QUÆSTIO II.

De toto composito.

- Art. 1. An totum essentialiter componatur ex materia & forma? n. 235.  
2. Utrum materia & forma uniantur seipsis? n. 245.  
3. Num totum distinguatur à partibus? n. 264.

## TRACTAT. II. DISPUTATIO I.

De causis in genere, & duabus primis in specie.

## QUÆSTIO I.

De natura, violento, & arte.

- Art. 1. Quid sit natura? n. 288.  
2. Num ars possit efficere aurum? n. 303.

## QUÆSTIO II.

De causis in communi.

- Art. 1. Quid & quotuplex sit causa? n. 317.  
2. An idem numero effectus possit produci à duplici causa? n. 332.

## QUÆSTIO III.

De causa materiali & formali.

- Art. 1. Per quid causa materialis & formalis constituantur in actu causandi? n. 355.  
2. De causa ideali. n. 366.

## DISPUTATIO II.

De causa efficiente & finali.

## QUÆSTIO I.

De causa efficiente.

- Art. 1. Quid sit causa efficiens? n. 376.  
2. Utrum substantia sit immediate operativa? n. 391.  
3. An

3. An emanatio proprietatum sit vera actio substantiæ? n. 412.  
4. De causa instrumentali. n. 419.

### QUÆSTIO II.

De causa finali.

- Art. 1.* Num finis sit vera causa. n. 430.  
2. Per quid finis constituatur in actu primo finalizandi? n. 435.  
3. Per quid in actu secundo? n. 445.

### TRACT. III. DISPUTATIO I.

## De Motu corporis naturalis.

### QUÆSTIO I.

De natura motus.

- Art. 1.* Quid sit motus? n. 461.  
2. An, & quomodo motus distinguatur à termino *ad quem*? n. 469.  
3. Utrum motus realiter distinguatur ab actione & passione? aut hæc inter se? n. 480.

### QUÆSTIO II.

De subjecto & unitate motus.

- Art. 1.* Utrum motus, actio, & passio sit in agente, vel in patiente? n. 489.  
2. Unde sumatur unitas aut diversitas motuum? n. 509.

### DISPUTATIO II.

## De infinito.

### QUÆSTIO I.

De infinito secundum essentiam, quantitatem, & qualitatem.

- Art. 1.* An detur infinitum creatum quoad essentiam? n. 524.  
2. Num quoad magnitudinem, multitudinem, & intensiorem? n. 538.

### TRACT. IV. DISPUTATIO I.

## De loco, & vacuo.

### QUÆSTIO I.

De Loco.

- Art. 1.* A quo desumatur immobilitas loci? n. 566.  
2. Utrum res formaliter constituatur in loco per *Ubi* intrinsicum modale? n. 576.  
3. An detur penetratio? n. 583.  
4. Num replicatio? n. 593.

### QUÆSTIO II.

De Vacuo.

- Art. 1.* An detur vacuum? n. 612.  
2. Utrum in vacuo posset fieri motus? n. 621.

### DISPUTATIO II.

## De tempore, duratione, inceptione, & desitione rerum.

### QUÆSTIO I.

De tempore.

- Art. 1.* Quid sit tempus? & an distinguatur à motu primi mobilis? n. 634.  
2. An tempus sit præsens ratione partis, vel ratione instantis? n. 646.

### QUÆSTIO II.

De duratione, inceptione, & desitione.

- Art. 1.* An detur duratio intrinseca, seu modalis? n. 666.  
2. Quomodo res in tempore incipiant, an desinant? n. 677.

### TRACT. V. DISPUTATIO I.

## De continuo.

### QUÆSTIO I.<sup>ca</sup>

De compositione continui.

- Art. 1.* An continuum componatur ex meris indivisibilibus mathematicis? n. 683.  
2. Num ex partibus in infinitum divisibilibus? n. 690.  
3. Utrum ex indivisibilibus physicis? n. 698.

### DISPUTATIO II.

ET ULTIMA.

## De conditionibus motus, & primo Motore.

### QUÆSTIO I.

De conditionibus ad motum requisitis.

- Art. 1.* Num idem possit movere seipsum? n. 718  
2. An detur actio in distans? n. 726

### QUÆSTIO II.

De primo Motore.

- Art. 1.* An causa prima semper concurrat cum secunda? n. 736.  
2. Utrum Deus creaturas physice præmoveat? n. 748.  
3. Num præmotio tollat libertatem? n. 768.  
4. & ult. An præmotio faciat Deum auctorem peccati. n. 788.

CUR-



CURSUS  
**PHILOSOPHIÆ**  
 ARISTOTELICO-THOMISTICÆ  
 ABBREVIATI  
 PARS II.

COMPLECTENS  
 Tractatus quinque in Physicam Universalem.



Altera Philosophiæ pars est Physica. Obtinuit nomen hoc à græco vocabulo *Physis*; quod Latinis idem sonat ac *Natura*. Hac Nominis sui etymologia satis innuit, se in naturæ rerumque naturalium speculatione occupari. Porro facultas hæc, quamdiu de corpore naturali ejusque proprietatibus in genere differit, appellatur *Physica universalis*; & absolvitur octo libris Physicorum. Ubi autem ad corpus naturale in specie considerandum descendit, Physica *Particularis* vocatur: de qua ob materiæ amplitudinem in Parte tertia. In præsentia ea, quæ pertinent ad Physicam universalem constringemus in quinque Tractatus. Primus horum discutiet librum primum Physicorum per Disputationes duas: in quarum prima agetur de principiis corporis naturalis in communi, & simul de primo in specie: in secunda postmodum de duobus aliis, eorumque effectu. Systema Tractatum aliorum dabitur infra suo loco.

TRACTATUS I.  
 IN LIBRUM I. PHYSICORUM.  
 DISPUTATIO I.  
 DE PRINCIPIIS CORPORIS  
 NATURALIS IN GENERE, ET  
 PRIMO IN SPECIE.

IN Libro 1. Physicorum agit Aristoteles de principiis corporis naturalis. Idipsum faci-

mus in præsentia Tractatu. In hujus Disputatione prima agemus per Quæstionem unam de principiis in genere; per alteram de primo principio in specie. His duabus quæstionibus tamen præmittimus alteram, Prolegomenalem de natura & qualitatibus Physicæ, more aliorum. Censent hi, minime expedire, ut dum per physicam aliarum rerum naturæ investigantur, ipsius physicæ natura qualitatesque ignorentur.

QUÆSTIO I.

Prolegomenalis.

DE NATURA ET QUALITATIBUS PHYSICÆ.

ARTICULUS I.

Quodnam sit objectum Physicæ.

PRænotandum: Eas fere quæstiones de objecto Physicæ hic agitari, quas in Logica à n. 286. agitavimus de objecto Logicæ. Præcipua inter illas est, quodnam sit objectum adæquatum physicæ? & quo nomine melius exprimitur? Loco responsionis sit hæc

CONCLUSIO I. Objectum attributionis Physicæ adæquatum est corpus naturale qua tale: ita ut corpus sit objectum materiale, naturale autem seu naturalitas formale: & hoc modo objectum Physicæ melius exprimitur quam per ens vel substantiam mobilem. Ita TT. contra TT.

Prob. 1. pars: Objectum attributionis adæquatum cujuslibet habitus est, quod coalescit ex materiali & formali: atqui corpus naturale est tale, ut patefiet ex numero sequenti; ergo. Præsertim: quia habet tres condiciones ad objectum

4 Pars II. tr. I. in Phys. univ. de natura & qualitatibus Physicæ.

- jectum adæquatum requisitas in Log. n. 330.
- 4 Nam 1. Corpus naturale est quid unum & una definitione definiri potest. 2. Consideratur à physica per se, nec ulterius refertur. 3. Ad ipsum omnia referuntur vel tanquam principia, vel tanquam causa, vel tanquam partes, vel tanquam proprietates &c. ergo.
- 5 Prob. 2. pars: Corpus per naturale determinatur ad habitum Physicæ (corpus enim qua ens spectat ad Metaphysicam, qua quantum ad Mathematicam &c.) ergo corpus est materiale, & naturale est formale. Sic res in Logica sunt objectum materiale, quia determinatur, & reductio est formale, quia determinat.
- 6 Prob. 3. pars: Corpus est genus proximius naturæ seu naturali quam ens vel substantia; nam naturale dicit tam motum quam quietem (de quo utroque agit Physica) cum tamen mobile solum motum exprimat: ergo objectum physicæ melius exprimitur per corpus naturale: sicut homo melius exprimitur per animal rationale, quam per ens vel substantiam pibedem.
- 7 CONCLUSIO II. Objectum principalitatis in Physica est homo: objectum communitatis autem est ens naturale. Ita communiter Philosophi.
- 8 Prob. 1. pars: Homo inter objecta partialia Physicæ est objectum nobilissimum, utpote habens formam rationalem; quæ corpori non tantum dat motus vitales sed etiam rationales: ergo.
- 9 Prob. 2. pars: Ens naturale potest prædicari in recto de omnibus in Physica per se contentis; velut patebit examinanti: ergo est objectum communitatis.
- 10 Objicies 1. cont. 1. concl. part. 1. Corpus naturale excedit habitum Physicæ, & ab eo exceditur: ergo non est objectum adæquatum a. p. 1. Etiam aliæ scientiæ v. g. Medicina & Mathematica habent pro objecto corpus naturale (: n. d. a. formaliter & ut naturale est n. materialiter & ut est sanabile, mensurabile &c. c.): ergo excedit. a. p. 2. Materia prima est objectum Physicæ; quia ab hac consideratur (: per se & primario n. tantum secundario, quatenus est pars corporis naturalis c.): atqui hæc non est corpus naturale; ergo exceditur.
- 11 Ob. 2. Ad corpus naturale non omnia in Physica referuntur: ergo. a. p. Physica tractat de DEO, Angelis, motu &c. atqui hæc ad corpus naturale non referuntur (: in recto c. in obliquo n.): ergo. a. p. Non sunt corpora naturalia; ergo.
- 12 Ob. 3. Objectum adæquatum Physicæ non est corpus naturale in particulari; quia hoc est objectum certorum tantum librorum: nec in communi; quia sic est objectum octo duntaxat librorum physicorum (: si consideretur secundum rationes genericas tantum c. si simul secundum specificas n.): ergo non est objectum adæquatum.
- Ob. 4. cont. 2. part. Objectum materiale 13 debet latius patere quam formale: atqui corpus (: entitative c. objective n. Sic idem entitative corium est objectum plurium artium :) non latius patet quam naturale; quia convertuntur: ergo nec corpus est materiale; nec naturale est objectum formale.
- Ob. 5. Physica probat existentiam corporis naturalis: ergo non est ejus objectum (: t. c. Quia etiam Theologia probat existentiam DEI, qui est ejus objectum :) a. p. Physica probat omne mobile esse corpus: ergo probat existentiam corporis naturalis (: n. c. Nam eo ipso quod prober omne mobile esse corpus, non probat sed supponit dari corpus :) Deinde S. D. 1. phys. lect. 1. expresse docet, quod objectum Physicæ sit ens mobile (: in sensu reali c. in sensu formali n. Ibi enim non loquitur de conceptu convenientius expressivo :) ergo.
- Ob. 6. cont. 3. part. Ens melius exprimit 15 objectum materiale: ergo. a. p. Ens est subiectum motus sensibilis (: immediatum n. solummodo mediatum c. Nam ens est subiectum motus tantum ratione corporis; quia si ens non sit corpus, non competit ei esse mobile: ) ergo. a. p. Motus definitur per ens (: tanquam subiectum mediatum c. tanquam subiectum immediatum n.): nempe quod sit actus entis &c. ergo.
- Ob. 7. Saltem mobile melius exprimit 16 rationem formalem objecti Physicæ quam naturale; ergo. a. p. Quidquid considerat Physica, considerat sub ratione mobilis (: n. hoc; quia Physica agit de naturali seu natura, quæ est principium non tantum motus sed etiam quietis, ut patet in globo terra; & notum est ex definitione natura: ) ergo mobile magis exprimit &c.
- Ob. 8. cont. 2. concl. part. 1. Cælum est 17 nobilius homine: ergo cælum & non homo est objectum principalitatis. a. p. Tum quia cælum habet modum perfectissimum (: in omni ordine n. in ordine non-vitali solum c.): nempe circularem tum quia est incorruptibile; ergo est perfectius (: in suo ordine sc. in essendo c. in ordine omni, sc. in sentiendo, & intelligendo n. quippe perfectio simpliciter defumitur à forma; quæ, quia in homine perfectior est, ipsum reddit etiam perfectiorem cælis: )
- Dices: Forma cælorum perfectius actuatur, 18 nempe inamissibiliter; ergo est perfectior (: quoad modum informandi c. quoad modum essendi n.):

ARTICULUS II.

An Physica sit scientia proprie dicta?  
& simpliciter speculativa?

19 **C**ONCLUSIO. Physica est scientia proprie dicta: & simpliciter speculativa. Ita Moderni omnes ex S. D. i. p. q. 84. a. 1. ad 3. & Arist. 6. metaph. l. 1.

20 Prob 1. pars: Physica facit veras demonstrationes de suo objecto, dum demonstrat, omne corpus naturale esse mobile, quia constat naturâ, quæ est principium motûs &c. ergo est scientia.

21 Prob. 2. pars: Finis intrinsecus Physicæ & principaliter intentus est sola cognitio veritatis & sui objecti; cum non intendat efficere corpus naturale sed tantummodo cognoscere, investigando ejus causas, effectus &c. ergo est simpliciter speculativa.

22 Objicies 1. cont. 1. part. Physica dependet ab aliquo fallibili, nempe à cognitione & experientia sensuum (: r. d. a. quacunque n. debite applicata c. :) quæ fallibilis est: ergo non est scientia.

23 Ob. 2. Objectum Physicæ non est immutabile & necessarium (: quoad existentiam c. quoad essentiam n. Nam corpus naturale esse corruptibile æque necessarium est, ac Angelum esse incorruptibilem :) ergo.

24 Urgebis: Sola Metaphysica considerat rerum essentias (: sub ratione entis universalissima c. sub ratione entis naturalis n. Alioquin sola Metaphysica foret scientia:) ergo illas Physica non considerat.

25 Ob. 3. Physica agit de singularibus (: sumptis specificative c. reduplicative n. Tractat enim de cœlis, sole &c. in quantum habent naturas universales, saltem secundum rationem :) nimirum de his cœlis, de his elementis &c. Item de materia sensibili (: actualiter n. radicaliter c. :) quæ est ens per accidens, utpote composita ex subiecto & accidentibus: ergo non est scientia.

26 Ob. 4. Pleraque, quæ tractantur in Physica, sunt tantum probabilia, maxime illa quæ habentur in libris de cœlis (: ita ut sint actus solum secundarii c. primarii n. :) ergo Physica non est scientia. c. p. Denominatio desumitur à potiori (: id est à præstantiori c. id est, à numerosiori n. Secus homo non esset rationalis :) ergo. Vid. Theol. P. I. n. 58.

27 Ob. 5. cont. 2. part. Physica cognitionem sui objecti ordinat ad praxin: ergo est practica. a. p. Ex cognitione corporum cœlestium & sublunarium elevat mentem ad amorem creatoris (: per se & ex fine intrinseco n. per accidens & ex fine extrinseco c. :) ergo.

Ob. 6. Medicina est scientia practica: ergo & Physica. a. p. Non distinguitur à Physica; quia habet idem objectum (: materiale c. formale n. :) vid. corpus naturale; ergo. Insuper: Physica docet opus, nempe facere aurum (: n. hoc; id enim spectat ad chrysopeiam :) ergo.

Ob. 7. Actus voluntatis sunt quid agibile: 29 atqui Physica versatur circa actus voluntatis (: modo operabili n. speculativo, naturas illorum considerando, c. :) ergo.

Quæres 1. Utrum Physica sit pars Philosophiæ ab aliis distincta? 30 R. Quod sic: quia habet objectum formale distinctum. Interim tamen non est nobilior Metaphysicâ ( utpote quæ habet objectum nobilius ) bene tamen aliis scientiis Mathematicis: eoquod hæc pro objecto 31 habeant tantum accidentia v. g. quantitatem &c. Physica autem corpus naturale, quod est substantia: ergo.

Quæres 2. An Physica sit una simplex qualitas? 32 R. Affirmative: quia habet unum solummodo objectum in esse scibilis; cum omnia, ( etsi in se & materialiter diversissima sint ) sub una abstractione à materia singulari & sub iisdem principiis consideret. Ex his Physicam 33 facile defines, quod sit scientia speculativa versans circa corpus naturale qua tale. Vid. P. Renz hic a. 4.

QUÆSTIO II.

DE PRINCIPIIS CORPORIS NATURALIS IN GENERE.

ARTICULUS I.

Quid sint principia physica.

**P**RENOTANDUM: Principium sumi posse tripliciter. 1. Latissime pro eo, à quo aliquid quomodocunque procedit seu originatur: in quo sensu Pater æternus dicitur principium Filii. 2. Strictius pro eo, quod insluit esse in aliud: in quo sensu causa appellatur, principium sui effectus. 3. Strictissime pro eo solo, quod rem intrinsece constituit: & in hoc sensu principium accipit nostra

CONCLUSIO: Principia physica sunt, qua neque ex se invicem, neque ex aliis, sed ex 34 35 36 37 ipsis omnia sunt, vel fiunt. Ita communis ex Arist. 1. phys. tex. 42. & S. D. lect. 10.

Explicatur: Principia non debent esse ex se invicem ( ita ut unum sit pars constitutiva alterius: quia si unum esset ex altero, tunc non esset primum ) neque ex aliis ( secus enim non essent prima; neque simpliciter principia sed principjata ) sed ex ipsis omnia ( scilicet corpora naturalia ) sunt ( si sint corpora ingenerabilia ) vel fiunt, si generabilia sint: ergo.

B Obi-

- 38 Objicies 1. Principia physica fiunt *ex se* invicem: ergo. a. p. Forma fit ex materia (: *R. d. a.* tanquam ex parte *componente* n. tanquam ex *subjecto eductionis* c. :) Imo una forma producit aliam (: tanquam principium *efficiens* c. *componens* n. :) ergo.
- 39 Ob. 2. *urg.* Materia, & forma saltem corporea, sunt *divisibiles*: ergo constant partibus (: *integralibus* c. *essentialibus* & *constitutivis*, quasi materia esset composita ex materia & forma, n. :)
- 40 Instas: Genus & differentia sunt partes *essentiales* (: *physica* n. metaphysicæ seu potius *logica* c. :) atqui materia componitur ex genere & differentia; ergo (: n. c. Sic Angelus adhuc est substantia physice simplex, et si habeat compositionem metaphysicam :)
- 41 Ob. 3. Principia physica sunt quid *creatum*; ergo sunt *ex alio* (: tanquam à causa *efficiente* c. *componente* n. :)
- 42 Ob. 4. Ex *privatione* nihil fit (: tanquam ex parte *componente* c. tanquam ex termino à quo n. ) ergo ex principiis non omnia fiunt.
- 43 Ob. 5. Principiis in *particulari* non convenit, quod ex *illis omnia* fiant (: si sumantur *collective* n. si *distributive* c. :) ergo. a. p. Ex forma ignis non fit aqua: ergo nec principiis in *communi* id convenit.

## ARTICULUS II.

### Quot sint principia physica.

- 44 **P**raenot. 1. Corpus naturale posse spectari vel in *fieri* (prout actualiter substat actioni productivæ) vel in *facto* esse, nempe quoad illud instans, in quo jam est productum. Ex his
- 45 Praenot. 2. Non idem esse corpus naturale in *fieri*, & ipsum *FIERI* corporis naturalis. Nam hoc posterius nil aliud est quam *transitus de non esse* tali ad esse tale: qui transitus etiam *mutatio* seu *generatio* vocatur; nec debet accipi *active* (prout procedit ab agente) sed *passive*, prout se tenet ex parte subjecti. Itaque
- 46 Praenot. 3. Statum presentis questionis esse, quotnam sint principia intrinseca ad ipsum *FIERI* corporis naturalis essentialiter requisita? ubi per *principium intrinsecum* intelligitur non tantum id, quod *constituit*, vel *influit*, sed etiam id, sine quo aliquid nec dari nec *concipi* potest, et si se habeat præcise per modum *termini*, vel *connotati*, etiam tantum in obliquo importati. Et in hoc sensu dicemus, *privationem* esse principium *intrinsecum*: maxime, quia *materia* ante adventum novæ formæ debet esse *intrinsece privata*.

CONCLUSIO: Principia intrinseca corporis naturalis in *fieri* sunt tria sc. materia, forma, & privatio: in *facto* esse autem sunt duo tantum, vid. materia & forma. Ita quoad rem omnes, ex *Arist. l. 1. phys. c. 7.* & *S. Th. hic lect. 13.*

Prob. 1. pars: Corpus naturale in *fieri* nec esse, nec concipi potest sine materia, forma, & privatione; ergo. a. p. *Fieri* corporis naturalis est transitus à non-esse tali ad esse tale: atqui ad hunc transitum requiritur 1. *subjectum* (quod est *materia prima*) 2. *terminus à quo* (qui est *privatio*) 3. *terminus ad quem*, qui est *forma*: ergo.

Prob. 2. pars: Sola materia & forma constituunt corpus naturale in *facto* esse; nam *privatio* per actionem *causaliter*, per ipsam formam autem *formaliter*, expellitur: ergo duo tantum sunt principia. Præcipue: quia corpus naturale in *facto* esse potest esse, & *concipi* sine privatione: ergo non est *hujus* principium.

Objicies 1. cont. 1. part. Ad conceptum corporis naturalis in *fieri* etiam requiritur *generans* (*R. d. a.* ut principium *extrinsecum*, de quo non agimus, c. ut principium *intrinsecum* n. :) ergo. a. p. *Generans* utique est magis *intrinsecum* generationi (: ut *actio* est c. ut *mutatio* est n. Nam sic præcise explicat *transitum de non esse ad esse*; qui transitus concipi potest sine causa efficiente :) quam *privatio*, quæ est non-ens: ergo dantur *plura* principia quam tria.

Ob. 2. instando: *Generans* est *intrinsecum* generationi etiam ut *mutatio* est: ergo. a. p. *Mutans* est *intrinsecum* mutationi (: *spectata active* c. *spectata passive* n. Quippe *mutatio* *spectata passive* nil dicit, nisi *subjectum mutabile*, quod est *materia prima*, quatenus à non-esse talis formæ transit ad talem formam :) atqui *mutans* & *generans* sunt unum; ergo si *mutans* est *intrinsecum* mutationi, eidem etiam *intrinsecum* erit *generans*.

*Urges*: *Materia* non est *subjectum* generationis *passivæ*; ergo nulla solutio. a. p. Illud est *subjectum* generationis *passivæ*, quod per illam *mutatur* (: *immediate* & *per se* n. quod *mutatur* per *terminum* generationis c. :) atqui per *generationem passivam* non *mutatur materia prima* (: per se c. per *terminum* n. quia forma *noviter* genita *recipitur* in materia :) sed totum *compositum* *corrumpendum*: consequenter hoc erit principium corporis naturalis in *fieri* (: si esset aliquid *simplex*, & in se *reciperet terminum substantialem* c. secus n. *compositum* ergo *precedens*, saltem quoad *formam*, habet se præcise per *accidens* :)

Ob. 3. *Materia prima* non est *generabilis*: ergo non est *subjectum* generationis. c. p. *Subjectum creationis* debet esse *creabile*; ergo etiam *subjectum generationis* debet esse *generabile* (: n. c.



(: n. c. & supp. a. quod creatio habeat sub-  
jectum, quia fit ex nihilo sui & *subjecti*: non  
item generatio. Si autem per *subjectum* intelli-  
gas *terminum creationis*, &

55 Dicis: *Terminus creationis* est creabilis;  
ergo etiam *terminus generationis* est generabilis  
(: c. totum; quia *terminus generationis* est  
totum *compositum*, quod est generabile, ex n.  
262. :)

65 Ob. 4. *Forma* non est prior generatione  
& ipso fieri (: *causali* c. ipso fieri *formali* n. Ta-  
liter enim est prior saltem prioritate naturæ:) er-  
go. a. p. *Forma* est *effectus* & *terminus* gene-  
rationis & ipsius fieri: ergo non est prior &  
*principium* generationis & *fiationis* (: *causalis*  
c. *fiationis formalis* & *terminative* acceptæ  
n. :)

57 Ob. 5. *Forma* non est *principium*, dum  
ultimo non est; quia tunc seipsum non commu-  
nicat, utpote nondum existens: nec quando  
primo est; quia quando *forma* primo est, *com-*  
*positum* non amplius est in fieri (: *causali* c. in  
fieri *formali* & *terminative* n. Nam in illo in-  
stanti *materia* formaliter & *terminative* muta-  
tur, transitque de non esse tali ad esse tale: sic-  
que *compositum* incipit esse; incipere autem esse  
& fieri sunt idem:) sed in facto esse; ergo nun-  
quam est *principium*.

58 Ob. 6. Ideo *forma* est *principium*, quia  
est *terminus ad quem* (: *qualiscunque* n. quia est  
*terminus formalis* & physice *simplex* c. :) atqui  
etiam *totum* *compositum* est *terminus ad quem*  
(: *formalis* ac physice *simplex* n. est *terminus to-  
talis* ac *principiatus* c. :) nec tamen est *principi-*  
*um*; ergo neque *forma* & c.

59 Replicas: *Terminus relationis* non est prin-  
*cipium intrinsecum* relationis; ergo etiam *ter-*  
*minus generationis* non est *principium intrinse-*  
*cum* generationis (: n. c. Quia *forma* in corpo-  
re naturali est *terminus incompletus*, & simul *ter-*  
*minus quo producendus*; conlequenter potest esse  
*principium* corporis naturalis: econtra *terminus*  
*relationis* est quid *completum*, quod per *relatio-*  
*nem* non producitur, sicque non potest esse prin-  
*cipium primum* & *simplex* :)

60 Ob. 7. *Materia*, *forma*, & *privatio*, sunt  
*principia tantum metaphysica*: ergo non sunt phy-  
sica. a. p. Quæ sunt de *conceptu* alicujus (: *me-*  
*taphysico* c. *physico* n. :) sunt tantum *principia*  
*metaphysica*: atqui *materia*, *forma*, & *privatio*  
assignantur pro *principiis* corporis naturalis, quia  
sunt de *conceptu* ejus (: *physico* c. *metaphysico* n.  
Imo ex *conceptu* *metaphysico*, qui est *genus* &  
*differentia*, recte cognoscitur *conceptus* *physicus*,  
sc. *natura hominis*, quod sit animal rationale, li-  
cet *natura* spectet ad *constitutionem physicam* :)  
ergo.

61 Ob. 8. *Principia intrinseca* (: *rigorose* ta-  
lia & se habentia per modum *partis* componen-  
tis t. minus *rigorose intrinseca* & se habentia ut

*terminus* vel *connotatum essentialis* n. :) debent  
in recto ingredi *constitutionem* sui *principiati*:  
atqui *privatio* non sic ingreditur *generationem*  
seu corpus naturale in fieri; quia tantum conno-  
tatur in obliquo (: *quomocunque* n. per modum  
*termini* & *connotati essentialis* c. :) ergo non est  
*principium* (: *rigorosum* & *componens* c. minus  
*rigorosum* n. Sic *existentia* est solum *terminus*,  
& tamen dicitur *naturæ intrinsecus* : ) ergo.

Ob. 9. Inst. Licet *Creator* non possit concipi 62  
sine *creatura*, *relatio* sine *termino*, & *accidens*  
sine *subjecto*, nihilominus *creatura* non est prin-  
*cipium* *Creatoris intrinsecum*, nec *terminus* *rela-*  
*tionis* & c. ergo quoque etsi corpus *naturale in*  
*fieri* non possit concipi sine *privatione*, hæc ta-  
men non erit *principium* ejus *intrinsecum* (: n.  
c. *Disparitas* est, quod *creator*, *relatio*, & *ac-*  
*cidens* in se jam sicut quid *completum essentialiter*;  
proindeque *terminos* suos respiciunt tantum ut  
*connotata extrinseca* & *accidentaliter*: at verò ge-  
*neratio substantialis*, ut *mutatio*, in se non est quid  
*completum*, nisi adsit *materia*, *forma* & *priva-*  
*tio*; ergo hæc tria respicit *essentialiter*, & ut sui  
*principia* :)

Repones: *Generatio* etiam ut *mutatio* inci- 63  
pit *extrinsece*; ergo *terminus a quo*, sc. *privatio*,  
est ipsi *extrinsecus* c. patet; secus enim incipe-  
ret *intrinsece*. a. p. *Generatio* etiam ut *muta-*  
*tio* (: *causalis* & *activa* c. ut *mutatio terminati-*  
*va* & *passiva* n. :) est quid *successivum*: ergo  
debet incipere *extrinsece*: c. p. *Omnia entia*  
*successiva* sic incipiunt (: n. *suppositum*, quod  
*generatio*, ut est *mutatio passiva*, sit quid *suc-*  
*cessivum*. Imo etiam *successiva*, ut *motus* &  
*tempus*, saltem *quoad instantia* incipiunt & desi-  
nunt *intrinsece*, ex n. 680. :)

Ob. ult. cont. 2. part. *Corpus naturale in* 64  
*fieri* petit tria *principia*: ergo etiam tot exigit in  
*facto esse*. c. p. *Corpus naturale in fieri* & *facto*  
*esse* est idem (: si sumatur *specificative*, pro re quæ  
fit & est, c. est idem *reduplicative* n. Quippe  
*corpus naturale* ut in *fieri* dicit non tantum rem  
quæ fit, sed insuper ipsum *fieri* seu *transitum a*  
*non esse* ad *esse*, qui sine *privatione* explicari non  
potest: ) ergo.

### ARTICULUS III.

#### An non atomi sint prima principia?

Prænotandum: Per atomos intelligi corpus- 65  
cula quædam minima, ac indivisibilia (ut  
volunt Atomistæ) è quorum conjunctione  
omnia corpora naturalia constituentur, ita ut  
*atomi* habeant *rationem materie primæ*, earum  
*combinatio* verò & *varia conjunctio*, *rationem*  
*formæ*.

CONCLUSIO: *Atomi* non sunt prima 66  
rerum naturalium *principia*. Est *communis omni-*  
*um Peripateticorum contra Atomistas*.

Prob. 1. *Atomi* sunt ex aliis *prioribus*, sc. 67  
ex *materia* & *forma*; utpote *corporei*: ergo non  
pos-

possunt esse *prima principia*. Deinde: quilibet atomus est compositus non tantum ex partibus *integralibus*; sed etiam *essentialibus* & physicis; quia per Atomistas compositum physicum habetur per *diversam figuram* tanquam formam, & per *atomos* ceu materiam: atqui quilibet atomus habet *diversam figuram* & materiam; imo ipse atomus habet rationem materiæ, & figura ejus rationem formæ: ergo atomi *plures* non possunt principiari corpus naturale & facere *unum per se*.

68 Prob. 2. Si atomi essent *prima principia*, tunc non darentur *accidentia* ab atomis eorumque combinatione *realiter distincta*, ut docent Atomistæ unanimiter: atqui hoc est falsum; quia in Evcharistia dantur *vera accidentia* ex Concil. Constant. *sess. 8.* & quidem *eadem* numero, quæ erant ante consecrationem (cum juxta Concilia & SS. PP. sint & maneat *accidentia ejus panis & vini, cujus substantia conversa est in corpus & sanguinem Christi*) & tamen ibi non dantur atomi: quia per consecrationem omnes cum pane sunt destructi; ergo.

69 Prob. 3. Sententia Atomistarum S. Scripturam ob tortas hinc inde interpretationes non tam sequitur, quam trahit pro se; nec ullum quidem ex SS. PP. habet: quin nisi fide impediretur, doceret, non dari animam rationalem: nequit explicare, quomodo lux solis, constans ex meris atomis in unico quasi instanti possit diffundi in loca quæque remotissima? quomodo pulvis nitratu possit conteri absque flammæ incendio? quomodo moveantur canes per solos atomos, ut inquirant amissos dominos &c. ergo est rejicienda.

70 Objicies. 1. Si atomi non sunt *prima principia* tunc *generans* produceret formam ex *nihilo* (: *ex. d. M. sui c. ex nihilo subjecti n.* :) atqui agens creatum hoc non potest; quia alias *crearet* (: si illam produceret ex nihilo *simpliciter c.* secus n. Alias in sententia Atomistarum *combinatio* atomorum crearetur: ) ergo.

71 Urges: Etsi effectus dependeat à causa efficiente, si tamen fiat ex nihilo, adhuc vere creatur: ergo etiam *forma*, dependet à *materia* seu subjecto, si tamen fiat ex nihilo sui, adhuc *vere creabitur*, (: n. c. Quia etsi effectus dependeat à causa efficiente, non destruitur conceptus *essentialis creationis*, qui definitur, quod sit *productio rei ex nihilo sui & subjecti*: qui conceptus tamen destruitur, si effectus dependeat à materia ita ut præsupponat subjectum; cum tunc non amplius sit *productio ex nihilo subjecti* : )

72 Dices: *Ars* producit & efficit sua artefacta per solam *coordinationem* corporum præexistentium absque productione *rei nova*: ergo etiam *natura* facit corpora naturalia per solam *coordinationem* atomorum absque productione formæ *substantialis* (: n. c. Eo quod *artefacta* sint entia tantum per *accidens*: corpora *naturalia* autem sunt entia

*per se* substantialia, adeoque exigunt formam *substantialem*: ) c. p. *Ars* imitatur naturam (: quoad aliqua c. quoad omnia n. secus *ars seipsam* etiam propagaret, ut facit natura: ) ergo &c.

Ob. 2. Corpora naturalia *resolvuntur* ultimo in atomos (: per *novam* generationem c. per meram separationem & divisionem localem n. Vel aliter: ut in corpuscula *simplicia* n. ut in *composita* ex materia & forma c. : ) ergo ex iis etiam *componuntur*.

Repones: Substantia vini, thuris, perit, quando amittunt tenuiores spiritus, qui consistunt in minimis *corpusculis*: ergo etiam ex iis constituuntur (: *formaliter* n. quia spiritus illi non sunt corpuscula simplicia, secus nunquam corrumperentur: solum *dispositive* c. Sic destructo temperamento destruitur compositum hominis, nec tamen homo ex temperamento *formaliter* constituitur : )

Regeres: In rebus physicis debemus sequi *sensum* (: solum n. secus deberemus negare existentiam DEI, Angelorum, & animæ rationalis: *sensum & intellectum* simul c. : ) quia intellectus nihil intelligit nisi per *sensus*: atqui per *sensum* in rebus physicis nil deprehendimus nisi corpusculi & eorum dispositionem; ergo (: Retorqueo: atomi eorumque intrinseca coordinatio non cadit sub *sensum*: ergo non sunt *prima principia* : )

Ob. 3. Non dantur *accidentia absoluta*; ergo. a. p. Inter illa foret præcipue quantitas Evcharistica: atqui non est; ergo. m. p. *Quantitas* Divinitus separata à subjecto non est mera extensio in *abstracto* (: n. hoc; quia quoad *re-ctum* est forma *exigitive* extensiva corporis, non minus ac *albedo* est dealbativa, *lux* illuminativa &c. : ) quia implicat actualis *extensio* sine re actu extensa, sicut implicat actualis *visio* sine re actu visa (: n. parit. Nam visio est *actuale* exercitium, & non tantum aptitudinale seu *exigitive* ym, potentia visiva; ergo in obliquo indispensabiliter requiritur *objectum* : ) Nec est aliquid extensum in *concreto*; aliàs ut *separata* faceret idem quod conjuncta subjecto (: si extenderet partes *substantiales* subjecti c. si tantum *suas* proprias accidentales partes, uti & reliqua *accidentia* n. : ) sicque erit formalissime *corpus* (: si fieret *substantia* c. si maneat *accidens & proprietas* corporis, vi cujus *corpus* fit aliquod *extensum substantiale* n. : ) ergo non distinguitur à corpore.

Oppones: Deus posset separare *quantitatem* etiam ab aliis accidentibus: ergo tunc nihil extenderet (: n. c. Tunc enim seipsam adhuc *actu* extenderet, & *exigitive* esset extensiva tam *substantia* quam aliorum accidentium ob *intrinsecum* ordinem: sicut anima separata manet pars *exigitive* informativa corporis : )

Premes: Taliter *quantitas* esset *substantia*; quia existeret *per se* (: cum *exigitive* tamen de-

pendentia existendi in alio c. secus n. :) sic planta esset brutum, si etiam Divinitus sentiret, licet *exigeret* tantum vegetare (: n. parit. quia planta deberet esse causa *principalis* sentiendi; sicque *vitaliter* ageret in actu *secundo*; consequenter necessario præsupponeret *primum*: econtra quantitas dum existit in alio, se tantum habet *passive*.)

79 Ob. 4. Forma *materialis* substantialis nequit separari à materia: ergo nec forma *accidentalis*, qualis est quantitas. a. p. Definitur, quod sit *substantia incompleta* *DEPENDENS* à *materia in esse, fieri, & conservari* (: naturaliter c. *supernaturaliter* subd. *exigitive* c. *actualiter* n. :) ergo nequit à materia separari, sed habet *essentialem* dependentiam (: in actu *signato* c. *exercitio* n. :) ab ea. *Vid. tr. de Incar. n. 243.*

80 Urg. Quia homo definitur, quod sit *animal rationale*, nequit dari homo *actualis*, quin sit *actu animal rationale*: ergo etiam quia *accidens* definitur, quod sit ens in alio, nequit dari *accidens actuale*, quin actu sit in alio, (: id est, ut *actualiter & exercite* existens in alio n. id est, ut *actualiter exigens* existere in alio c. Sic satis est ut homo sit *actu animal rationale*, nec requiritur, ut *actu* ratiocinetur; secus *infans* non esset homo:)

81 Clamas: Implicat dari *substantiam actualem*, quin existat *actu per se* (: naturaliter c. *supernaturaliter* n. quia *existentia* substantiæ quoque posset suppleri à Deo:) ergo quoque implicat, dari *accidens actuale*, quin actu existat in alio (: n. c. Etenim *inexistentia* accidentis in alio tantum connotantur in obliquo, cum *accidens* habeat propriam *existentiam*, *dependentem* tamen ab *existentia* substantiæ:)

82 Ob. 5. Quantitas est *proprietas* substantiæ quarto modo, quæ convenit omni, soli, & semper (: *connaturaliter* c. *essentialiter*, & secundum *cursum* extraordinarium subd. *essentialiter exigitive* c. *essentialiter exercite* n. :) ergo ab ea *realiter* non distinguitur, nec separari potest (: n. c. Alias *risibilitas* non distingueretur ab homine:)

83 *Insites*: De *essentia* Angeli non est *potentialis* tantum *immaterialitas* sed *actualis*: ergo etiam de *essentia* substantiæ *corporeæ* *actualis* non erit *potentialis* tantum *extensio*, sed *actualis* (: n. c. Quippe *substantia* corporea sine *actuali* *extensione* adhuc distinguitur à *substantia immateriali*, quatenus ex suis propriis partibus *entitativis* est composita, inque has *radicaliter & exigitive* *extensibilis* :) Præsertim: quia *corpus* *essentialiter* *exigit* *commensurationem* ad *locum* (: n. hoc; quia *corpus Christi* in *Evcharistia* non *commensuratur* loco:)

84 Ob. 6. *Proprietates* *substantiæ spiritualis*, puta *intellectus & voluntas*, non possunt *Divinitus* separari (: n. a. Quia possunt habere *sui solius* *ideam* in *essentia* *Divina* :) ergo nec pro-  
R. P. A. Schnell, Phil. P. II.

*prietates* *substantiæ materialis*. Imo *quantitas* *Evcharistica* habet *partes extra partes* (: *extensivas* *sui ipsius & accidentales* c. *substantiales* & *corpori* *proprias* n. :) ergo est *corpus* *physicum*.

Remurmuras: *Forma* *materialis* v. g. *la-* 85  
*pidis* *adveniens* *materiæ* non facit *novas* *partes* *materiæ* (: *entitative* c. *informative* n. :) ergo nec *quantitas* *adveniens* *substantiæ* facit *novas* (: *substantialiter* c. *novas* *extensivæ* n. :) Præsertim: quia *huic* est *extrinseca* (: *intrinsece* tamen *recepta* c. *secus* n. Sic *materia* *corporis* *humani* per *animam* *rationalem* sit *intrinsece* *actuata*, quamvis *hec* sit *realiter* *distincta* à *materia* & *eidem* *extrinseca* :)

Ob. 7. Si *quantitas* *realiter* *distinguere-* 86  
*tur* à *substantia* *corporea*, tunc deberet *realiter* *ex ipsa* *educi*: atqui non potest *educi*; ergo m. p. *Ens spirituale* non potest *educi* *ex ente* *materiali* (: t. quia *gratia* *baptismalis* *educitur* *vi* *aquæ* *materialis* :) ergo nec *entitas* *extensa*, uti est *quantitas*, *ex* *substantia* *inextensa* (: si esset *inextensa* tam *actualiter* quam *radicaliter* c. *secus* n. :)

*Inst.* *Quantitas* in *Evcharistia* est *extensa* 87  
*ratione* *sui*: ergo habet *partes* *subst.* atqui quod *actu* habet *partes* (: *entitative* *substantiales* c. *tantum* *accidentales* n. :) est *corpus* (: ut *quo* c. *semper* *ut* *quod* n. :) ergo *quantitas* in *Evcharistia* est *corpus*.

Ob. 8. Si *quantitas* *realiter* *distinguere-* 88  
*tur* à *substantia* *corporea*, tunc *illa* *intime* *poneretur* *intra* *entitatem* *corporis* *seu* *subjecti* (: *nullatenus* *adhuc* *extensi* c. *secus* n. :) ergo *naturaliter* *daretur* *penetratio* (: si *subjectum* esset *extensum* c. *secus* n. :)

*Reclamas*: *Quantitas* est *corporea* (: *com-* 89  
*plete & ut* *quod* n. *incomplete* & *ut* *quo* c. :) ergo est *corpus* (: n. c. Sic *caput* est aliquid *sensitivum*, & tamen non est *brutum* :) c. p. Quod est aliquid *substantiale*, est *substantia*: ergo etiam quod est quid *corporeum* est *corpus* (: n. c. Quia *corpus* est aliquid *substantialiter* *completum*, & ideo de *quantitate*, quæ est tantum *proprietas* *corporis*, *dici* *nequit* *in* *recto* :) *Vid. P. Oberhauser in Phys. partic. d. 2. q. 4. a. un.*

*Deduces*: *Neque* *salem*, *nec* *fulfur*, *nec* 90  
*terram* *damnatam*, *nec* *aquam*, *nec* *Mercurium*, *esse* *prima* *principia*: eo quod hæc omnia sint *composita* & *in* *alia* *priora*, si non *chymice* *saltem* *physice* *resolubilia*, sc. in *formam* & *materiam*. *Vid. P. Renz hic a. 2. & 5.*

## QUÆSTIO III.

## DE PRIMO PRINCIPIO IN SPECIE, QUOD EST MATERIA PRIMA.

## ARTICULUS I.

An? &amp; quid sit Materia prima?

91 **CONCLUSIO I.** Datur in rerum natura materia prima peripatetica, à forma substantiali realiter distincta. Itacum S. Th. & Arist. Peripatetici omnes contra Atomistas

Probatur: Datur generatio & corruptio substantialis, ex Phys. partic. à n. 98. ergo quoque debet dari *subjectum* primum & ultimum (alioquin generatio esset creatio, & corruptio esset annihilatio: quæ utraque excedit vires agentis naturalis) quod dicimus materiam primam; à forma substantiali vel ideo *distinctam*, quia in corruptione compositi ab illa realiter separatur.

92 **CONCLUSIO II.** Materia prima positive definitur: est *subjectum primum uniuscujuscunque*, ex quo fit aliquid, cum insit, non secundum accidens; & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum. Ita Arist. 1. phys. c. 8. text. 82.

Explicatur: Est *subjectum* (loco generis) *primum* (per quod distinguitur à *subjecto accidentium*, sc. à composito) *uniuscujuscunque* (id est, cujuslibet formæ substantialis) *ex quo fit aliquid* (vid. totum compositum) *cum insit* (tanquam ex principio intrinseco) *non secundum accidens* (& quidem tanquam ex parte substantiali) & *si corrumpitur aliquid in hoc abibit ultimum*: id est, in corruptione manet materia prima.

93 **CONCLUSIO III.** Negative autem definitur: est *id*, quod per seipsum non est quid, nec quantum, nec quale; nec aliquid eorum quibus ens determinatur; sed neque horum negatio: est tamen *id*, de quo horum singula predicantur. Ita rursus Arist. 7. metaph. c. 3.

Explicatur: Sensus est, quod materia secundum se non sit *substantia* (actu completa) nec *quantitas*, nec *qualitas*, nec aliud ens *predicamentale*: neque tamen sit eorum negatio seu *non-ens*: sed positiva aliqua potentia, quæ omnes formas tam substantiales quam accidentales recipere possit, & ab iis denominari.

94 **Objicies 1.** cont. 1. concl. Agens creatum potest producere formam; ergo & materiam. c. p. Materia est *imperfectior* (: r. d. a. quoad entitatem c. quoad *modum* producendi n. :) quam forma: ergo.

95 **Ob. 2.** cont. 2. concl. Materia prima est in alio sc. in toto composito (: ut in *subjecto presupposito* n. ut in *effectu* à se constituto c. :) ergo non est *subjectum primum*.

96 **Ob. 3.** Materia *caelestis* non est capax plurimum formarum: ergo male additur *uniuscujus-*

*cunque* (: n. c. Nam Aristoteles tantum definit materiam *sublunarem* :)

Ob. 4. Materia *sublunaris* non est *subje-* 97  
ctum commune *omnium* formarum: ergo etiam in ordine ad hanc non bene additur particula *uniuscujuscunque*. a. p. Secus ex *quolibet* posset fieri *quodlibet* (immediate n. mediantibus *variis* generationibus & *mutationibus* c. Sic ex gramine fit bos, ex hoc caro hominis &c. :)

Ob. 5. **urg.** Si ita est, tunc duo homines 98  
possent successive habere *eandem* numerò *materiam*, casu quo unus alterum devoraret: atqui sequela videtur absurda; quia alioquin in extremo die alteruter non resurgeret in *sua* carne (: quoad *substantiam* n. quoad *extensionem* c. Sic infantes mortui resurgent in *sua* carne, etsi materiam necessariam ad justam staturam Deus suppleturus sit :)

Ob. 6. Si materia *sublunaris* *continet* omnes 99  
formas *sublunares*, erit infinita (: *catogorematicæ* n. solum *syncatogorematicæ* c. Quippe dum ex illa educuntur, tantum patitur :) quod iterum non potest dici; ergo. Vid. P. Hueber hic n. 66.

Ob. 7. cont. 3. concl. Definitio debet 100  
explicare, *quid* res sit (: si sit *definitio positiva* c. si mere *negativa* n. :) atqui hoc non facit definitio secunda *materiæ*; ergo.

## ARTICULUS II.

Utrum materia prima habeat actum entitativum?

**P**Rænotandum: Etiam si omnes Philosophi 101  
convenient, materiam primam esse *puram* potentiam in genere *physico*, prout innuunt definitiones antea datæ; nihilominus aliquos putare, quod habeat actum *metaphysicum*. Nam Scotus tribuit illi actum *entitativum*: aliqui TT. actum *differentialem*: RR. communiter actum *existentie* partialis. De quibus per articulos distinctos.

**CONCLUSIO:** Materia prima non ha- 102  
bet actum entitativum. Est communis TT. ex S. D. 1. p. q. 7. a. 2. &c.

Prob. 1. **Authoritate S. D. 1. cont. gent. c.** 103  
43. asserentis, quod materia sit ita *pura potentia*, sicut Deus est *actus purus*: atqui Deus excludit *omnem* potentialitatem; ergo etiam materia *omnem* actualitatem. Deinde: per Aristotelem, materia non est aliquid eorum, per quæ *ens* determinatur; ergo ex se non est actus, seu non habet actum.

Prob. 2. **Actus entitativus secundum Sco-** 104  
**tistas**, est ratio *transcendentalis*: atqui hæc non est actus quia ratio *transcendentalis* est *talis*, qualis est res, in qua imbitur (sic *ens* imbitum in *substantia*, est *substantia*, in *accidente* accidens, sed res illa sc. materia prima (à qua imbitur *actus transcendens*) secundum propriam

priam formalitatem est pura potentia; ergo & actus entitativus.

105 Prob. 3. Etsi materia expleat potentiam *objectivam*, non tamen ideo habet *actum* entitativum: quia potentia *objectiva* expletur per illam entitatem quæ erat *possibilis* (sic potentia *objectiva* formæ expletur per formam, *tenebrarum* per tenebras) cum ergo *materia* fuerit entitas mere *potentialis*, per hanc ipsam entitatem *potentialem* expletur ejus potentia *objectiva*.

106 Objicies 1. Materia prima est ens *creatum*, adeoque participat ens increatum, quod est *actus purissimus*: ergo materia involvet aliquem *actum* (: n. d. c. si ens increatum participaret quoad gradum *actualitatis* c. si tantum quoad *gradum entis* n. Nam cum materia sit ens incompletum & imperfectissimum, Deum participat præcise quoad gradum universalissimum *entis* :)

107 Urgebis: Talis est effectus (: *adequatus* c. *inadæquatus* n. *secus* embrio assimilaretur generanti :) qualis est causa; quia effectus debet assimilari causæ: atqui causa, sc. Deus, est actus; ergo & materia (: n. c. Sic non est *infinita*, etsi Deus infinitus sit :)

108 Ob. 2. Materia prima explet aliquam *potentiam* (: *realem* & *physicam* n. *logicam* & *objectivam* c. :) cum non amplius sit *nihil*: ergo habet *actum*.

109 Dices: Materia explet potentiam *creativam*; (: *se sola* n. unà cum forma *substantiali* c. Etenim creatio terminatur ad *totum esse rei* :) atqui potentia *creativa* est *realis* & *physica*; ergo.

110 Ob. 3. inst. Materia prima non potest expleri *potentiam objectivam*: ergo. a. p. Una potentia non explet *alteram* (: ejusdem generis c. *diversi* n. Sic unus actus, nempe *existentia*, explet alterum vid. formam *substantialem*: nam materia prima, etsi sit potentia, est tamen *potentia subjectiva* tantum: ergo.

111 Insistes: Potentia *subjectiva* sc. materia, non expletur nisi per *actum*; ergo etiam potentia *objectiva* non aliter expletur (: n. c. Quia potentia *objectiva* opponitur duntaxat *entitas possibilis*, sive deinde sit actus sive potentia: econtra *potentia subjectiva* opponitur *entitas actualis*: ergo per hanc expletur :)

112 Ob. 4. Materia prima non est in *mera potentia* (: *objectiva* c. *subjectiva* n. :) aliàs esset nihil: sicut mundus, dum erat in potentia fuit nihil; ergo habet *actualitatem*.

113 Ob. 5. Materia prima per sui creationem utique transivit ab *esse possibili* ad *esse actuale*: ergo acquisivit aliquem *actum*. c. p. Quod amittit potentiam (: *realem* & *physicam* c. tantum *logicam* & *objectivam* n. alias *tenebræ* per sui positionem *actum* acquirerent :) utique ac-

quirit *actum*: sed materia per creationem amittit *potentiam*; ergo.

Ob. 6. Materia prima est *ens actu* (: per 114 aliquam *actualitatem* seu quoad *actum* *essendi* n. per *potentialitatem* seu quoad *actum propositionis* c. :) ergo habet *actum* (: n. c. *Secus NIHIL actu* existens, vel *actu mortuum* haberet *actum* :)

Ob. 7. Materia prima habet *unitatem* & 115 *intelligibilitatem* (: *actualem* n. *potentialem* c. Nam *proprietates entis* consequuntur *ens*, quod si mera potentia sit, uti est materia, etiam ipsæ quid *potentiale* sunt :) quia est *ens*; ergo etiam habet *proprietates entis* &c.

Ob. 8. urg. *Accidens* habet *intelligibilitatem* *actualem*: ergo etiam hanc habebit *materia* prima. c. p. *Hæc* est longe nobilior (: in *ratione entis* c. in *ratione actualitatis* n. :) quia *materia* prima est *substantia*; quam *prærogativam* tamen *accidens* haud habet; ergo.

### ARTICULUS III.

An materia prima habeat *actum differentialem* ?

CONCLUSIO: Materia prima ex se non 117 habet *actum differentialem*. Est contra aliquos *TT.* & *RR.*

Probatur: Materia prima non habet supra se *genus* aliquod *univocum*, in quo cum aliis conveniat (quia nec *ens*, nec *substantia*, prout abstrahit à *completa* & *incompleta*, est quid *univocum*, ex *Log.* n. 349.) nec aliquod *predicatum inferius*, per quod ad certam formam & speciem contrahatur (cum non sit *aliquid eorum*, per quæ *ens determinatur*) ergo.

Objicies 1. Materia prima *definitur* (: n. 118 d. a. *rigorose* n. *descriptive* & ut *ens incompletum* subd. *positive* n. *negative* c. Nam sicut *ens summum*, sc. Deus, non potest *definiri* propter *summam perfectionem* nisi *negative*: ita nec materia propter *summam imperfectiorem* :) ergo habet *differentiam*. c. p. *Omnis definitio* constat *genere* & *differentia*: ergo.

Ob. 2. Materia prima *distinguitur* à *nihilo*, & ab ipsa *forma* (: *se totâ*, ita ut sit *primò diversa*, quemadmodum *summa genera* seipsis *diversa* sunt & *distinguntur*, c. non *se totâ* & tantum per *aliquid sui* n. :) ergo habet aliquem *actum differentialem*; quia *actus* est qui *distinguit* (: in iis, quæ proprie *differunt* c. in iis quæ solum *diversa* sunt n. aliàs *negatio* & *privatio*, ab invicem *distinctæ*, essent etiam *actus* :)

Ob. 3. *Materia celestis* & *sublunaris* continentur sub materia in *communi* tanquam suo *genere* (: *univoco* n. *analogico* c. :) ut *species*: atqui

atque species involvit differentiam (: ut actum semper intrinsece importatum & sibi identificatum n. tanquam actum extrinsece connotatum, quatenus una respicit actum amissibiliter informantem, altera inamissibiliter. c. :) ergo.

121 Ob. 4. Materia cœlestis est perfectior quam sublunaris, saltem in ratione potentie receptivæ: ergo dicit actum. s. p. Omnis perfectio (: actualis c. tantum potentialis n. Sic una herba est sanior alterâ absque eo quod in una sit sanitas intrinsece, sed tantum ex eo, quod perfectior sit ordo unius ad sanitatem animalis quam alterius :) est actus.

122 Urg. Aliæ potentie intrinsece specificantur per ordinem ad suum actum: ergo etiam materia (: n. c. Quia hæc in se non habet actum simpliciter, ergo nec differentialem: sic non potest dari animal tale in specie, nisi præsupponat animal in genere. :) est actus.

123 Ob. 5. Forma substantialis non est ita actus purus, ne includat aliquam potentialitatem: ergo etiam materia prima non est ita pura potentia, ne includat aliquem actum saltem differentialem (: n. c. Quoniam actus purus in creatis implicat; cum non detur omnimodus accessus ad Deum: datur autem omnimodus recessus, ut patet in nihilo; ergo etiam pura potentia. Deinde: quia forma est medium inter actum purum & potentiam puram, ab utroque aliquid participat: quale medium tamen non est materia. Vid. P. Oberhauser hic d. 1. q. 2. a. 1. §. 3. a. n. 113.

## ARTICULUS IV.

### Utrum materia prima ex se habeat actum existentiam?

124 PRænotandum: Hic supponi ex Metaphysica a. n. 462. essentiam & existentiam in creatis realiter à se mutuo distingui. Si enim supponeretur, eas esse identificatas, tunc cessaret status quæstionis. Definitur autem existentia, quod sit ultima actualitas, qua res ponitur extra causas.

125 CONCLUSIO: Materia prima non habet existentiam propriam & partialem, ab existentia Totius distinctam. Ita TT. ex S. D. 1. p. q. 7. a. 2. ad 3. contra Scot. & RR.

126 Prob. 1. Materia secundum se non habet actum primum sc. formam: ergo etiam non habet actum secundum vid. existentiam; quia actus secundus semper supponit primum: sic actualis operatio supponit virtutem operandi; ut numerus binarius numerum primum.

127 Prob. 2. Quia si materia haberet existentiam propriam, esset ens completum; siquidem haberet ultimam actualitatem: sicque cum forma non faceret unum per se, sed per accidens duntaxat: atque hoc non potest dici; ergo.

Prob. 3. Illa existentia esset actus (ut supponitur) & non esset actus (& quidem in eodem genere existentie) quia adhuc esset perfectibilis; & compleretur per supervenientem existentiam formæ (quod tamen non contingit, etsi forma substantialis compleatur per existentiam; quia tunc est actus in linea essentia, & potentia in linea existentia, quæ sunt diversa genera) atque hoc iterum non potest admitti; ergo.

Objicies I. In quolibet composito substantiali dantur duæ essentia incompleta: ergo dantur etiam duæ existentia incompleta (: R. n. c. & c. Quia existentia incompleta implicat; cum sit ultima actualitas: non verò implicat essentia incompleta; siquidem non sit ultima actualitas: adeoque non implicat, quin duæ essentia sint in eodem composito :)

Ob. 2. Anima rationalis separata habet existentiam incompletam; ergo hæc non implicat. a. p. Anima separata est ens incompletum: ergo quoque habet existentiam incompletam (: connotative & in obliquo c. entitative & in recto n. :)

Dices: Existentia animæ separata non denominat illam complete existentem; ergo non habet existentiam in recto completam (: n. c. Nam ut forma denominet, requiruntur certa connotata: si licet anima separata habeat unitatem entitative, non tamen denominat illam unitam, nisi adsint cætera requisita :)

Ob. 3. Materia prima, utpote substantia, est ens per se existens (: id est, independenter à subiecto inhesionis c. per existentiam sibi primò debitam n. quia non est ens completum :) præsertim quia defacto existit (: per existentiam propriam n. alienam c. :) ergo habet existentiam.

Ob. 4. Materia prima producit per actionem propriam: ergo etiam habet propriam existentiam. a. p. Materia prima producit per actionem creativam (: ad se primario terminatam n. secundario tantum sc. ratione totius compositi c. Hinc à S. D. I. c. dicitur concreata :) forma autem per actionem generativam; ergo.

Ob. 5. Materia non existit per existentiam totius; ergo. a. p. Secus esset generabilis; quia in generatione novi compositi acquireret novam existentiam (: simpliciter n. itaut alia præcesserit c. :) ergo.

Instabis: Compositum dicitur generabile, quia per generationem acquirit existentiam (: simpliciter, ita ut nulla præcesserit c. secus n. :) ergo etiam materia (: n. c. Etenim materia prima jam prius habuit aliquam existentiam :)

Replicas: Angelus amittens existentiam in instanti A. per annihilationem, & in instanti

ti B. illam denuo acquirens per novam creationem, esset vere de novo productus: ergo etiam materia, amittens existentiam in composito corrupto, & acquirens novam in composito novo, dicitur de novo generata & producta (: n. c. Quia essentia exercita materiae taliter nunquam ponitur in statum meræ possibilitatis; qualiter tamen ponitur essentia Angeli annihilata:)

137 Ob. 6. Materia est prior (: prioritate temporis n. naturæ & causalitatis c. :) toto composito: quia omnis causa (: extrinseca t. nam sol non fuit prior lumine: intrinseca n. :) est prior suo effectu; ergo materia non potest existere per existentiam totius compositi.

138 Urges: Causa efficiens non potest existere per existentiam sui effectus: ergo neque causa materialis per existentiam compositi, quod est ejus effectus (: n. c. Nam causa efficiens causat agendo seu per quamdam actionem, ad quam præsupponitur existentia; cum actiones sint suppositorum, seu existentium: e contra materia causat recipiendo & patiendo formam; ad quod sufficit, si in eodem instanti reali cum toto composito existat: præsertim cum ad pati minus requiratur quam ad agere; quandoquidem quilibet infans pati possit, non tamen agere:)

139 Ob. 7. premendo: Materia in illo priori, in quo causat totum, non est nihil (: nihilitate potentia c. nihilitate actus n. :) ergo est aliquid (: potentiale c. actuale n. :) consequenter existit.

140 Repones: Materia in illo priori naturæ actu recipit formam: ergo debet actu existere (: prævie n. concomitanter c. :) consequenter habet existentiam, antequam ipsi adveniat forma.

141 Ob. 8. In illo priori materia est posita extra causas (: inadequate, nempe quoad potentialitatem, c. adequate, & simul quoad actualitatem n. :) quia non amplius est in statu possibilitatis: ergo habet existentiam, quæ est extra-sistentia extra causas (: omnes c. tantum aliquas n. :)

142 Inst.: Materia in illo priori est extra causam efficientem (: incomplete c. complete n. :) quia habet realitatem potentialitatis: ergo habet existentiam; cum causa efficiens det existentiam (: se sola n. causa efficiens cum causis ceteris c. :)

143 Ob. 9. Totum compositum, etsi respectu accidentium sit causa materialis, attamen ut recipiat accidentia debet existere: ergo etiam materia prima, etsi respectu formæ sit causa materialis, tamen ut illam recipiat, debet prius existere (: n. c. Quia materia est causa materialis intrinseca, quæ sine forma non habet esse simpliciter primum; ergo sine illa nec potest habere esse secundum: sc. existentiam: e contra totum compositum est causa materialis extrinseca

R. P. A. Schnell, Philos. Pars II.

tantum, quod cum aliunde actum primum supponat, etiam habere potest existentiam:)

Ob. ult. Materia saltem non semper potest existere per existentiam formæ & compositi: ergo habet propriam existentiam. a. p. Materiale non potest existere per existentiam spirituales (: nisi illud materiale actuatur per formam spirituales c. si actuatur n. Nam si materia prima in homine potest recipere actum primum spirituales, etiam recipere poterit secundum: ) atqui existentia formæ sæpe est spiritualis, ut contingit in homine; ergo.

Reclamas: Spirituale non potest existere per existentiam materiale; ergo neque materiale per existentiam spirituales (: n. c. Quia spirituales saltem ut quo materiale est, consequenter etiam materiali potest dare existentiam: e contra ens materiale nec ut quo spirituales est; cum sit inferioris ordinis, neque illud actuare & perficere possit: nam imperfectius, ut est materiale, non potest perficere & actuare perfectius, quale est ens spirituales; bene verò e contra: sic argumentum non potest perficere aurum:)

## ARTICULUS V.

Utrum materia prima saltem Divinitus possit existere sine omni forma substantiali?

CONCLUSIO: Materia prima ne quidem Divinitus potest existere sine omni forma substantiali. Ita S. D. 1. p. q. 66. a. 1.

Prob. 1. Materia in hac hypothesi haberet existentiam (ut supponitur) & non haberet; quia non haberet formam substantialem seu actum primum (qui tamen ad secundum essentialiter præsupponitur, ex n. 126.) ergo.

Prob. 2. Materia sic esset sub certo genere, sc. substantiæ corporeæ, & tamen non esset sub certa specie; quia species sumitur à forma, qua tamen materia careret: atqui hoc ne Divinitus potest fieri (quemadmodum non potest fieri animal, quod nec sit in specie hominis, nec in specie bruti &c.) ergo.

Respondent aa. Quod materia esset in certa specie per connotationem ad formam: sicut anima S. Petri est in certo numero individuali per connotationem ad corpus seu materiam.

Contra est: Ut aliquid sit in certa specie collorati v. g. albedinis, non sufficit connotatio ad albedinem; quia albedo est principium proximum & intrinsecum albificandi: ergo pariter, ut materia sit in certa specie, non sufficit connotatio ad formam, quia forma pariter est principium proximum & intrinsecum specificandi. Paritas de numero non est ad rem; quoniam corpus seu materia signata quantitate est principium individuandi tantum extrinsecum quoad quantitatem: cum quælibet res induetur proxime & intrinsece à propria sua entitate & unitate, ex Log. n. 505. & Metaph. n. 547. Nec sic contradicitur numero 120.

D

Nam

Nam dum ibi diximus, materiam sublunarem distingui specie per formam extrinsece connotatam, tantummodo intelleximus, quod illa forma non debeat esse *identificata* cum materia.

151 Obijcies 1. *Materia* realiter distinguitur à forma (: *ry. d. a. secundum essentiam c. secundum existentiam n.* Enimvero materia & forma existunt per *eandem* existentiam :) ergo saltem Divinitus poterit conservari & existere sine omni forma (: *n. c.* Quia etiam relatio realiter distinguitur à suo termino, & *visio* ab objecto; & tamen neutra etiam Divinitus potest esse & existere sine *termino*, aut objecto :)

152 Ob. 2. Deus *cum* forma potest materiæ tribuere existentiam: ergo etiam hoc potest *sine* forma *c. p.* Quidquid potest DEUS cum causa secunda (: *efficiente c. formali aut materiali n.* Deus enim se non potest communicare per *modum partis* :) potest etiam se solo: ergo.

153 Urgebis: Deus potest supplere *causam materialem* (: extrinsecam *c. intrinsecam n.* :) quia in SS. Eucharistia supplet defectum *subjecti*, quod spectat ad causam materialem (: *extrinsecam*; quæque in genere causæ *efficientis* suppleri potest, sc. conservando accidentia sine subjecto, *c. intrinsecam n.* :) ergo etiam potest supplere causam formalem (: *intrinsecam n. extrinsecam c.* Imo Deus *hanc* defacto supplet in visione beatifica, *ex tr. de Deo n. 336.* :)

154 Dices: Deus potest supplere *causam formalem intrinsecam* (: si sit *intrinsece informans*, qualis est forma substantialis, *n. si sit solum intrinsece terminans*, ut est existentia, *c.* :) quia in Incarnatione supplet *existentiam creatam*, quæ spectat ad causam *formalem intrinsecam*; ergo. *Vid. tr. de Incarn. n. 9.*

155 Ob. 3. Deus per *propriam* existentiam in Incarnatione supplet existentiam *creatam*: ergo etiam per suam existentiam potest supplere *existentiam materia* (: *n. c.* Quia *materia* prima sine forma substantiali *non* habet actum *primum*; quem tamen habet humanitas Christi; consequenter ipsius existentia à Deo potest suppleri, non item existentia materiæ primæ; cum actus secundus essentialiter supponat *primum* :)

156 Ob. 4. *Existentia* est tantum effectus formalis *secundarius* formæ substantialis: ergo à Deo potest suppleri (: supposito *primario c. fecus n.* Sic Deus non potest supplere *existentiam creatam*, nisi supponatur essentia :)

157 Obmurmuras: Forma substantialis *non* est de *essentia* materiæ (: ut *materia* est *c.* ut *existens n.* sic albedo non est de essentia muri ut *murus* est; est tamen de essentia muri ut *albus* est :) ergo sine illa potest existere.


158 Quæres 1. Quomodo materia appetat  
159 formas? *ry.* Materia *omnes formas*, etiam amissas (saltem conditionate, si agens aliquod il-

las reproduceret) appetit (quia per *quamlibet* 160 *perficitur*, & ad certum modum essendi determinatur) appetitu *innato* (quia sine prævia cognitione) quidem *omnes aequaliter*: tum quia 161 *omnes eodem modo perficiunt & actuant* materiam, nempe modo *amissibili*: tum quia in 162 *omnibus finem suum*, sc. corpus naturale obtinet: sicut debitor *aequaliter* solvit, sive solvat auro, sive argento. Nec refert, quod forma 164 *nobilior videatur esse materiæ magis bona*; quia dat esse nobilius: Nam hoc *esse* non est 165 *nobilius quoad rationem actuandi*, sed solum quoad rationem essendi; adeoque materialiter se habet.

Quæres 2. Num *appetitus* materiæ ad formas uti & *potentia receptiva* illarum, realiter distinguantur ab entitate materiæ? *ry.* Negative: quia iste appetitus seu *potentia* receptiva nil aliud est quam *subjectum capax formarum*; *materia* prima autem per suam entitatem est 167 *tale subjectum*, sicut forma substantialis per suam entitatem est *actus*: ergo. Nec quid facit, quod *forma* ad agendum requirat *potentias distinctas*: nam ex hoc non sequitur, quod materia etiam ad *patiendum & recipiendum* requirat *potentiam distinctam*. Ratio disparitatis est: quia forma 168 *per se est solummodo principium essendi*, non item operandi proxime: e contra materia *per se* est *potentia receptiva* formarum; unde ut *talis* fiat, non indiget aliquo superaddito.

Quæres 3. An materia prima sublunaris 169 *fit eadem numero & specie* in omnibus rebus sublunariis? *ry.* Etiam si non sit eadem numero (cum reperiatur in *subjectis* realiter distinctis) esse tamen *eandem specie*: quia unicum duntaxat actum respicit, *vid. omnes formas* sub- 170 *stantiales*; quæ si *formaliter* spectentur, nempe quoad *modum actuandi amissibiliter*, omnes conveniunt. Sic potentia viviva manet eadem specie; quia colores in se materialiter *diversi* conveniunt in ratione *visibilis*: ergo.

Quæres ult. Utrum materia prima sit in- 171 *generabilis, & incorruptibilis*? *ry.* Quod sic: quia in generatione est *primum*, in corruptione autem *ultimum*. Nec obest, quod sit causa & *radix* corruptionis: nam *talis* non est quatenus incorruptibilis, sed quatenus habet appetitum ad aliam formam, aut quatenus potest recipere dispositiones contrarias. Multo minus 172 *obest*, quod sit *subjectum* generationis & corruptionis: Ex hoc enim minime sequitur, quod etiam ipsa debeat esse generabilis & corruptibilis: sicut licet oculus sit *subjectum visionis*, non tamen ipse debet videri. *Vid. P. Renz. hic. q. 2. a. 7. 8. & 9.*





## DISPUTATIO II.

## DE DUOBUS ULTIMIS PRINCIPIS, ET TOTO COMPOSITO.

Principia corporis naturalis posteriora sunt forma & privatio. De his in præsentis Disputatione differemus, uti & de principiorum effectu, nimirum de toto composito substantiali. Singulas attingent Quæstiones singulæ.

## QUÆSTIO I.

## DE ALTERO PRINCIPIO IN SPECIE, SC. DE FORMA SUBSTANTIALI.

## ARTICULUS I.

## An &amp; quid sit forma substantialis?

173 Prænotandum 1. Formam late sumptam esse id, quo res determinatur. Dividitur in extrinsecam (quæ in eo, quod determinatur, non reperitur intrinsece; & subdividitur in exemplarem, quæ est idea in mente artificis existens; ac assistentem, quæ alteri præcise assistit extrinsece, ut nauta navi &c.) atque intrinsecam, quæ effectui tribuit suum essendi modum per communicationem propriae entitatis, ut anima &c. Circa hanc

174 Prænot. 2. Formam intrinsecam subdividi in subsistentem (quæ ex se non ordinatur ad componendum totum, ut Angeli) & informantem, quæ ordinatur ad componendum totum & ad actuandam materiam: estque vel spiritualis (quæ à materia independens est in esse, fieri, & operari, ut anima rationalis) vel materialis, quæ sine materia nec esse, nec fieri, nec operari potest. Informans subdividitur in substantialem (quæ dat esse simpliciter) & accidentalem, quæ dat esse secundum quid.

175 CONCLUSIO I. Datur forma substantialis in compositis naturalibus, à dispositione atomorum realiter distincta. Ita Peripatetici omnes contra Atomistas.

176 Prob. 1. Datur materia prima ceu prima potentia substantialis, ex dictis an. 90. ergo & forma substantialis, ceu actus primus substantialis; eoquod quælibet potentia habeat suum actum. Deinde: dantur res essentialiter & specie distinctæ, uti patet in igne & aqua, cum habeant proprietates specie distinctas: ergo quoque datur forma substantialis. c. p. Illa distinctio non potest provenire à materia (hæc enim est eadem in omnibus sublunaribus,) nec ab accidentibus; cum hæc solum accidentaliter distinguant: ergo.

Prob. 2. Per verba consecrationis perit substantia panis; manentibus accidentibus: ergo in composito illo, quod est panis, datur aliqua forma substantialis, præter formas accidentales. Rursus: Datur forma substantialis in homine, à modificatione atomorum distincta: ergo etiam in alio ente; quandoquidem pro hoc sit eadem ratio. Quin! si modificatio foret forma substantialis, tunc in homine darentur due formæ substantiales; quod tamen dici non potest; ergo.

CONCLUSIO II. Forma substantialis re- 178 cte definitur: est actus primus corporis naturalis. Ita quoad rem omnes.

Explicatur: Per ly actus convenit cum accidentibus: per ly primus autem differt ab illis (quia sunt actus secundus) & ab existentia & subsistentia, quæ sunt actus ultimus: per ly corporis naturalis differt à formis per se subsistentibus, quales sunt Angeli &c. ergo.

Objicies 1. cont. 1. concl. Res distinguuntur inter se specie per temperamentum: ergo non per formam substantialem. a. p. Ex temperamento colligimus distinctionem specificam metallorum v. g. (: r. d. a. tanquam ex signo à posteriori c. tanquam ex constitutivo n. Sic ex fumo cognoscimus ignem, nec tamen ignis formaliter constituitur ex fumo:) ergo.

Ob. 2. urg. Destrueto temperamento & 180 accidentibus, quoque destruuntur composita naturalia (: formaliter n. tantum ex consequenti, quia destruuntur accidentia eorum conservativa, c. :) ergo in iis non datur alia forma.

Ob. 3. Formæ materiales insunt alicui sub- 181 jecto (: informationis c. inhesionis n. :) nimirum materiæ primæ: ergo saltem illæ sunt formæ solum accidentales.

Ob. 4. Si dantur formæ substantiales, tunc 182 in generatione novi compositi crearentur; quia fierent ex nihilo (: sui c. subjecti n. Nam in virtute passiva materiæ dispositæ continentur virtualiter :) & in corruptione annihilarentur (: n. hoc; redeunt enim in potentiam sui subjecti, è quo fuerunteductæ :) atqui neutrum potest dici; ergo.

Ob. 5. cont. 2. concl. Forma substantialis 183 supponit alium actum (: in genere causæ formalis n. dispositivæ c. :) sc. dispositiones materiæ: ergo non est actus primus. Adhæc: etiam potentia accidentales loquendi, videndi, sunt actus primus (: in comparatione ad actualem operationem c. in comparatione ad subjectum n. :) ergo non forma substantialis tantum.

Ob. 6. Forma substantialis non est actus 184 purus & simplex; quia solus Deus est actus purus (: completus & excludens omnem potentialitatem, tum ex qua, tum cum qua, c. incompletus & excludens solummodo potentialitatem ex qua, qualis est forma substantialis, n. ) nec compositus; quia non componitur ex alio: ergo non est actus.

## ARTICULUS II.

An, quæ & quomodo formæ substantiales educantur de potentia materiæ?

185 **P**raenotandum I. Certum esse, non omnes formas substantiales creari à Deo (quia aliàs formæ materiales & corporeæ haberent esse *subsistens*, velut anima rationalis) nec præcedere actu in materia secundum suas virtutes *seminales* (quia alioquin materia non foret pura potentia; nec subjectum *immediatum* formæ) sed educi. Circa hoc.

186 Praenot. 2. Formas educi de potentia materiæ, nil aliud esse, quam illas, in potentia *passiva* materiæ virtualiter contentas, ab agente naturali vi actionis, *transmutantis* materiam, inde elici & reduci in actum. Quod ut fiat, requiritur

187 1. Ut forma educenda *præcontineatur* in potentia passiva materiæ; secus enim non posset vere dici, quod educatur ex ea. 2. Ut forma *dependeat* à materia tam in fieri quam in esse & operari; hinc anima rationalis non educitur. 3. Ut per actionem *transmutativam* materiæ forma fiat & incipiat *actu* esse, quæ prius tantum erat in potentia, ut docet S. Th. I. p. q. 90. a. 2. ad 2.

188 **CONCLUSIO I.** In compositis *genitis* omnes formæ substantiales *corporeæ* educuntur de potentia materiæ. *Ita communiter TT.*

Probatur: In compositis *genitis* formas producit agens naturale ex materia cum hujus *transmutatione*: ergo educit; quia in illa actione transmutativa consistit eductio.

189 **CONCLUSIO II.** In compositis *creatis*, ut cœli & elementa, formæ fuerunt *concreatæ*, adeoque non sunt eductæ ex potentia materiæ: nec potuerunt educi. *Ita TT. ex S. Th. I. p. q. 65. a. 4. in c. contra TT.*

190 Prob. I. pars: Juxta S. Script. *Gen. 1. Deus CREAVIT TOTUM cœlum & TOTAM terram*: atqui si formæ cœlorum & elementorum fuissent *eductæ* non creasset *totum* cœlum & *totam* terram, sed tantum utriusque materiam; adeoque cœlum non foret *simpliciter* creatum (sic etsi in generatione equi v. g. præsupponatur materia creata, quia tamen forma educitur, equus non dicitur *creatus* sed *generatus*: ergo quoque si in cœlo nil est creatum præter materiam, forma autem educta, cœlum quoque non erit creatum) ergo.

191 Prob. 2. pars: Essentialis conceptus educationis consistit in eo, quod fiat per *transmutationem* materiæ (quia per hoc actio *eductiva* formæ distinguitur ab omni *alia* actione; nam etiam in actione *creativa* formæ, qua Deus potest producere integrum compositum habens formam naturalem; vel in actione *transsubstantiativa*, qua potest unum compositum corporeum convertere in aliud, forma *fit* dependenter à ma-

teria, cum in *hac* recipiatur) atqui formæ cœlorum & elementorum non sunt productæ per transmutationem *materiæ*; quia *hac* non præcessit sub *alia* forma, nec privationem unquam habuit; ergo.

Respondent aa. Ad educationem sufficere <sup>192</sup> *privationem* formæ *aptitudinalem* & per rationem. Sed

Contra est: Eductio est vera & *realis* mutatio, adeoque est *actualis* transitus à *non-esse* formæ ad *esse* formæ: ergo requirit *privationem actualem*; utpote *quæ* requiritur ad omnem veram *mutationem*, ex S. D. I. p. q. 45. a. 2. & 2. *cont. gent. c. 17.* Sic quia creatio Mundi est *realis* & *actualis* transitus à *non-esse* ad *esse*, ideo *non-esse* debet *actu* præcedere, ex *Phys. partic. à n. 12.* Deinde: *privatio aptitudinalis* nec per *rationem* potest dari in *cœlis*: quia *hi* essentialiter formas suas respiciunt *inamissibiliter*; ergo. Sic *Angelus* nullo modo potest esse *divisibilis*, etiam *aptitudinaliter* tantum; quia excludit *divisibilitatem essentialiter*.

Objicies I. *cont. I. concl.* Quando *ge-* <sup>193</sup> *neratur* equus, hujus forma fit ex nihilo: ergo *creatur* (: *R. d. c. si fieret ex nihilo* subjecti *c. si tantum ex nihilo sui n.:*)

Ob. 2. *cont. 2. concl. part. I.* Formæ <sup>194</sup> cœlorum & elementorum factæ sunt *dependenter* à materia (: tanquam à subjecto *præsupposito*, quod ad educationem requiritur, n. tanquam à sua *comparte c. sic transsubstantiatio* fit dependenter à materia, *non* tamen est *eductio* :) ergo educuntur. a. p. In suo esse & fieri sunt materiales; ergo.

Ob. 3. Formæ cœlorum *causantur* à mate- <sup>195</sup> ria: ergo *dependent* à materia (: ut à subjecto *præsupposito* n. ut à potentia sustentativa & *receptiva c.:*) a. p. Materia & forma sunt sibi *invicem* causæ; ergo.

Ob. 4. *urg.* Materia prima fuit producta <sup>196</sup> actione *alia* quam forma: ergo *hac* facta est ex materia ut ex subjecto *præsupposito*. a. p. Materia habet *aliam conservationem*; ergo & productionem. a. p. Quando ex terra recens creata creverunt plantæ, *materia* terræ fuit conservata (: *conservatione eadem* n. *diversa*, nempe *conservatione totius* compositi, per quod existit, *c.:*) ergo.

Ob. 5. *inst.* *Subsequens* compositum non <sup>197</sup> potest conservare materiam elementorum: ergo. a. p. Actio conservativa est *eadem* ac productiva (: in iis quæ existunt per *existentiam* propriam & *invariabilem c.* quæ existunt per *existentiam* alienam & *variabilem* velut existit materia elementorum in compositis *genitis*, n. :) atqui altera non potest producere materiam; ergo nec conservare.

Ob. 6. *cont. 2. part.* Non est de conceptu <sup>198</sup> *essentiali* educationis, ut materia præcedat cum *reali* privatione: ergo. a. p. Quando ex speciebus *Evcharisticis* generantur vermes, est *vera* gene-

generatio & eductio (: n. hoc; sed est *converso* specierum supernaturalis in materiam & formam vermum simul. Vid. *Phys. partic. à n. 112.*) quia fiunt per qualitates alterativas & dispositivas (: tanquam per *conditionem*, qua posita, in defectu agentis operetur causa prima c. secus n. :) atqui illa materia vermium non præcessit cum *reali* privatione; ergo. Vid. *Theol. nost. P. VII. n. 583.*

200 Ob. 7. Si Deus in uno instanti crearet materiam & in altero formam, hancque materiam conjungeret, talis forma fieret per *transmutationem* materiam (: *intrinsecam*, quæ ad eductionem formæ requiritur, n. extrinsecam c. :) & tamen non educeretur: ergo *transmutatio* non facit eductionem.

201 Deduces: Formas *accidentales* educi eadem actione, qua producuntur formæ *substantiales*, si cum his necessariam *connexionem* habeant. Ratio est: quia qui dat formam, dat etiam *connexa* & *consequentia* ad formam. Quod si necessariam *connexionem* non habeant, tunc educuntur actione *superaddita* & quidem *naturaliter* si sint naturales (quia fiunt *dependentem* à *subjecto* vi actionis *transmutativæ*) si verò *supernaturales* sint, ut *gratia habitualis*, tunc educuntur ex *potentia obediuntiali* animæ per *virtutem Divinam*: quia cum sint *accidentia*, quæque debent educi. Vid. *tr. de Grat. n. 266.*

### ARTICULUS III.

Utrum plures formæ substantiales possint simul esse in eadem materia? aut una simul in pluribus?

202 **P**renotandum: Controversiam præsentem moveri de formis *substantialibus totalibus*, non *subordinatis*. item de duabus materiis *totalibus*. De quibus sit

203 **CONCLUSIO I.** Plures formæ *substantiales totales*, etiam *supernaturaliter* non possunt simul informare *eandem* numero materiam *totalem*. Est *communis TT. ex S. D. 1. p. q. 76. a. 3. item quodl. 8. a. 6. &c. contra Scot. & RR.*

Probatur: Quia alias una illarum formarum *esset* *substantialis* (ut ponitur) & *non esset*; quoniam non daret esse *primum* & *simpliciter*, cum *hoc* jam supponeret datum ab alia forma, quam pateretur penes se: nam *dare esse primum* est effectus *formalis primarius*, qui, posita semel forma, nec à Deo impediri potest: sicut posita *albedine* impediri nequit, quin sit album; ergo.

204 **CONCLUSIO II.** Nec una forma potest informare plures materias. *Iterum communis TT. ex cit. S. D.*

Probatur: Quia sic *esset* eadem numero forma (ut supponitur) & *non esset* eadem numero; eo quod multiplicaretur ob *multiplicatam* *R. P. A. Schnell, Philos. P. II.*

*materiam*, quæ est principium *individuationis*; ergo. Deinde: illæ materiam *essent totales* (ut iterum supponitur) & *non essent totales*; quia neutra exhauriret totam *actualitatem* formæ, eo ipso quod quælibet earum formæ illi relinqueret vim *actuandi* adhuc *aliam* materiam; ergo.

Objicies 1. cont. 1. concl. Ferrum candens in se habet formam ferri & ignis (: *R. d. in eadem* materia ferri n. in materia *distincta* & in *poris* inclusa c. :) Item animal habet formam animæ, & formam sanguinis (: in *diversis* materiis c. in eadem n. :) ergo plures formæ possunt esse in eadem materia.

Ob. 2. Potest contingere, ut *duæ* formæ *substantiales simul* adveniant eidem materiam, eamque informant: atqui in hoc casu neutra supponeret esse *primum*, datum ab altera; ergo ratio conclusionis est nulla. M. p. Possunt poni *simul* in eadem materia *dispositiones* pro duabus formis *substantialibus*, sc. *duæ* qualitates *summe* *contrariæ* (: modo *mortuo*, ea ferme ratione, qua actus *vitalis* esset in lapide, t. modo *activo* & *dispositivo* n. Nam ad *impossibile*, uti sunt *duæ* formæ in eadem materia, non datur *dispositio*; quemadmodum nec datur *dispositio* ad *generationem* hircu-cervi. :) v. g. *summum frigus* & *summum calor* in eadem anima damnata: ergo quoque poni possent *ipsæ formæ* (: n. c. Quia *accidentia* non dant esse *simpliciter*; consequenter nec faciunt *contradictionem*, quam tamen facerent *duæ* formæ *substantiales* :) Vid. *tr. de Incarn. n. 483.*

Ob. 3. *urg. Esse primum & non esse primum* duarum formarum, non essent *contradictoria*: ergo. a. p. Quælibet daret esse *primum* in sua tantum specie, & non *primum* in *aliena* specie (: n. hoc; daret enim esse *primum* in sua specie; ut supponitur: & *non daret* esse *primum* in sua speciei, quia impediretur *ab alia* forma; siquidem materia sit *incapax duplicis* simul :) ergo non essent *contradictoria*.

Ob. 4. Licet quælibet forma *accidentalis* sit actus *secundus*, attamen quando *duæ* sunt in eodem *subjecto*, non sequitur *eas esse actum secundum*, & *non esse actum secundum*; ergo pariter etsi *duæ* formæ *substantiales* sint in eadem materia, non sequitur quod *una sit actus primus* & *non sit actus primus* (: n. c. Quia quælibet forma *substantialis* est actus *primus* simpliciter & *æqualiter* cum altera: *accidens* autem, si *existentiam* excipias, non est actus *secundus* simpliciter & *æqualiter* cum altero, sed potest esse actus *tertius*, quartus vel quintus, prout nempe *subjecto* advenit :)

Ob. 5. Potest eadem natura terminari duabus *subsistentiis* Divinis, *ex tr. de Incarn. à n. 225.* ergo etiam eadem materia informari *duabus formis*. c. p. Quamvis *existentia* sit actus *ultimus* simpliciter, tamen si *compatiatur* *aliam* *secum*,

secum, non sequitur, quod non sit actus ultimus: ergo etiam, etsi forma compatiatur aliam secum, nihilominus non sequitur, quod non sit actus primus (: n. c. Eo quod una *existentia Divina* alteram, ejusque effectum formalem, propter suam *infinitatem* contineat: sicque *intensive* darent eandem *existentiam*, consequenter qualibet esset ultima; licet plures extensive terminationes essent: econtra quoniam una forma substantialis, utpote *finita*, alteram non continet *individualiter*, plures darent plura *esse prima*, quæ in eadem materia implicant. Imo sicut plures *existentie creatæ* nequeunt terminare eandem numero naturam; quia essent actus ultimus, & non essent: ita pariter plures *formæ substantiales creatæ* nequeant informare eandem materiam:)

211 Ob. 6. Possunt duo corpora saltem Divinitus esse in eodem loco; quia expulsio alterius est effectus tantum secundarius: ergo etiam *duæ formæ substantiales* Divinitus poterunt esse in eadem materia, quia expulsio alterius formæ est quoque effectus tantum secundarius (: *positivus*, ut est expulsio alterius corporis n. negativus seu *privativus* c. hunc autem Deus impedire nequit non impeditur formâ. Sic nequit ab unitate tollere negationem divisionis, ab *animali irrationali* negationem rationalitatis, quin simul tollat ipsam unitatem, aut rationalitatem:)

212 Ob. 7. Possunt duæ causæ efficientes, puta Deus, astra, & homo, producere eundem numero effectum: ergo etiam duæ formæ substantiales informare eandem numero materiam (: n. c. Quippe causâ efficiens *superior* eminenter continet causalitatem *inferioris*, sc. actionem, juxta n. 751. Econtra una *forma* substantialis non continet *causalitatem* alterius, quæ consistit in propria rei entitate, per n. 358. eo ipso, quod entitatem *alterius* formæ in se non contineat:)

213 Ob. 8. cont. 2. concl. Una anima informat membra distincta, & distantia: ergo etiam eadem forma potest informare plures materias (: inadæquatas c. *adæquatas* n. :) a. patet; informat enim caput, pedes, ossa &c. ergo.

214 Dices: Eadem substantia increata potest terminare duas naturas adæquatas; ergo etiam eadem anima & forma informare duas materias adæquatas (: n. c. Quia subsistentia divina in ratione terminandi est infinita: non verò forma substantialis in ratione *actuandi*. Imo retorqueo: eadem *existentia creatæ* non potest terminare duas naturas, ergo neque eadem forma informare duas materias:)

## QUÆSTIO II.

### DE ULTIMO PRINCIPIO IN SPECIE, NIMIRUM DE PRIVATIONE.

#### ARTICULUS I.

An? & quid sit privatio?

PRænotandum: Privationem, etsi ordine generationis præcedat formam, dignitate tamen eandem sequi; ideoque primum hic assumi, & quæri, num detur, seu an habeat esse realiter, saltem abusive? Deinde quid sit?

CONCLUSIO I. Dantur à parte rei veræ privationes; adeoque non sunt entia rationis. Est communis.

Probatur: Nemine cogitante datur cæcitas in oculo, tenebræ in aère, mors in cadavere, formaliter: atqui istæ sunt veræ privationes; ergo

CONCLUSIO II. Privatio formaliter accepta bene definitur, quod sit carentia formæ in subjecto apto: adeoque non est ens positivum & reale. Iterum communis.

Prob. 1. pars: Per vocabula, carentia formæ, convenit cum negatione; per reliqua distinguitur; ergo.

Prob. 2. pars: Privatio opponitur enti sc. formæ, eamque tollit; ergo non potest esse ens reale.

Objicies 1. cont. 1. concl. Privatio non habet sui causam: ergo non datur à parte rei. a. p. Est nihil (: absolute n. prout aliquid excludit à suo subjecto. c. Sic alter mundus est nihil absolute; tenebræ autem nihil privativum: ) ergo non habet sui causam (: R. d. c. directe causantem c. indirecte n. :)

Ob. 2. cont. 2. concl. Si privatio aptitudinem importat (: in recto c. tantum in obliquo n. sic tenebræ importat auditorium capax illuminationis in obliquo: ) tunc erit entitas positiva; quia illa aptitudo est quid positivum: ergo.

Ob. 3. Privationes sunt sensibiles: ergo sunt ens reale. a. p. Videmus tenebras (: per se & positive n. per accidens & negative c. Nam videndo tenebras non videmus lucem in aère; quod utique est aliquid potius non videre quam videre: ) ergo. Præterea privationes cognoscimus (: in se n. in forma opposita & per species alienas c. : ) adeoque sunt verum; ergo etiam ens.

Ob. 4. Inter ens reale & ens rationis non datur medium: atqui privatio non est ens reale; ergo est ens rationis. M. p. Inter ens reale & non-reale non datur medium: ergo nec inter ens reale & ens rationis (: n. c. Quia reale & non-reale sibi opponuntur contradictorie; non item

ens reale & ens rationis. Sic etſi inter album & non-album non datur medium, datur tamen inter album & nigrum; quoniam hæc non opponuntur contradictorie. :)

- 224 Ob. 5. Privatio poteſt agere: ergo eſt ens reale. a. p. Privatio (: causalis c. formalis n. :) corrumpit habitum; ergo.

## ARTICULUS II.

Quanam privatio ſit principium? & quale? Item quando, & quomodo principiet?

- 225 **P**rænot. 1. In qualibet materia tot dari privationes, quot formæ ſunt abſentes. Quod ſi forma aliqua nunquam fuit in materia, dicitur privatio *antecedens*: ſi autem ſemel in ea fuit, *conſequens* appellatur. Antecedens ſubdividitur in *remotam* (dum materia nondum eſt diſpoſita) & *proximam*, dum diſpoſita eſt.

- 226 Prænot. 2. Jam quæri, quanam ex dictis privationibus ſit principium corporis naturalis? Item an ſit principium per ſe? quando & quomodo? Ut ordinate respondeamus, ſit

- 227 **CONCLUSIO I.** Sola privatio *antecedens* & proxima eſt principium corporis naturalis in fieri. *Ita communis.*

Probatur: Quia hæc ſola in generatione ſubſtantiali ſe habet ut terminus à quo, & formæ introducendæ opponitur; ergo.

- 228 **CONCLUSIO II.** Privatio eſt principium per ſe corporis naturalis in fieri, *reduplicative* ſumpti. *Iterum communis.*

Probatur: Privatio eſt principium *ipſius fieri* (quia hoc non poteſt concipi *sine* privatione) ergo etiam corporis naturalis in fieri. Sic quod per ſe convenit *albedini*, etiam albo *quatenus* tali per ſe convenit.

- 229 **CONCLUSIO III.** Privatio, dum eſt, principiat inchoative; & dum *primo* non eſt, principiat complete. *Eſt contra P. Renz quoad alteram partem.*

Probatur utraque pars: Privatio principiat, quando ſe habet ut terminus à quo: atqui *dum eſt*, habet rationem termini à quo inchoative (quia materia tunc diſponitur ad abjiciendam privationem) & dum *primo* non eſt, habet rationem termini à quo complete & perfecte, quia tunc forma perfecte fieri dicitur, dum privatio deſinit; ergo.

- 230 **CONCLUSIO IV.** Privatio ſemper principiat recedendo, nunquam autem influendo. *Ita communis.*

Probatur: Quia privatio eſt terminus à quo, qui in omni motu relinquitur: ergo.

Objicies 1. cont. 1. concl. Privatio *proxima* non exiſtit ante inſtans generationis; cum tunc materia non ſit proxime diſpoſita ad formam (: R. d. habendam ſimul cum priori c. amiſſa priori n. :) utpote impedita per formam, quam habet: nec in ipſo inſtanti; quia tunc *nova* forma jam eſt genita: ergo non eſt principium.

Ob. 2. cont. 2. concl. Datur generatio *sine* privatione: ergo hæc non eſt principium per ſe. a. p. Quando primæ formæ cælorum & elementorum fuerunt productæ, id factum eſt per veram generationem (: n. hoc; de quo ſatis à. n. 189. :) atqui ibi non præceſſit privatio; ergo.

Ob. 3. Privatio eſt *non-ens* (: cum *apertudine* tamen ad eſſendum c. ſine hac n. :) ergo non poteſt eſſe principium (: per modum partis *componentis* c. per modum termini à quo n. :)

Ob. 4. cont. 3. concl. Quando privatio *non eſt* (: ultimo c. quando non eſt *primo* n. :) corpus naturale non amplius eſt *in fieri*: ergo tunc non eſt principium.

## QUÆSTIO III.

### DE TOTO COMPOSITO SUBSTANTIALI.

#### ARTICULUS I.

An corpus naturale ſeu compositum *phyſicum ſubſtantiale eſſentialiter* tam ex materia quam forma componatur?

**P**rænotandum: Poſt diſcuſſa principia nunc agendum eſſe de ipſo principiato, nempe de toto composito. Circa hoc tria quæri ſolent. Primum præſtatur in rubrica præſentis articuli. Reliqua duo ſequenter in ſubſequentibus.

**CONCLUSIO:** Compositum *phyſicum* intrinſece conſtituitur ex materia & forma, tanquam ex partibus eſſentialibus. *Eſt communis contra Averroïſtas, negantes materiam eſſe partem eſſentialem.*

Prob. 1. Materia & forma ingrediuntur ejus definitionem in recto; cum compositum nil aliud ſit quam materia & forma unita: ergo ſunt partes eſſentiales. Secus totus homo foret ſpiritualis & immortalis.

- 238 Prob. 2. Compositum physicum non est *entitas simplex* sed *physice composita*: ergo debet constare *partibus* physicis; quæ aliæ non sunt quam materia & forma. Sic compositum *accidentale* non est *sola* forma accidentalis: nec compositum *metaphysicum* est *sola* differentia: ergo.
- 239 Objicies 1. Sola forma tribuit rei *esse* (: *ry. d. a. per modum actus c. per modum potentie n.:*) quia sola tribuit operari (: *ut quo c. ut quod n.:*) cum operari sequatur ad *esse* (: *existentia c. essentia subd. ad esse actuale essentia t. ad esse potentiale n.:*) ergo sola est de essentia compositi.
- 240 Ob. 2. Forma *distinguit* unum compositum ab alio: ergo etiam constituit. *c. p. Distinctivum & constitutivum* (: *per modum actus c. per modum potentie n.* Sic *animal* constituit, nec tamen distinguit :) sunt unum; ergo.
- 241 Ob. 3. Materia *secunda* non est de essentia artefacti: ergo nec materia *prima* est de essentia totius physici. *a. p. Substantia* non est de essentia *accidentis* (: *in abstracto c. in concreto n.* Nam *subjectum & albedo* sunt partes albi, ex Arist. 7. *met. t. 35.:*) ergo.
- 242 Ob. 4. Si materia est de essentia totius, tunc *pars* materiae erit *pars essentia* (: *si sit talis pars, sine qua forma non amplius potest facere unum compositum c. secus n.:*) & sic abscisso pede minueretur essentia: atqui hoc est absurdum; ergo.
- 243 Ob. 5. Materia Petri v. g. continuo per calorem naturalem variatur (: *materialiter c. formaliter n.* Quia pars superveniens transit in compositum *præexistens*. Sic turris manet in eodem loco, licet flante vento semper novæ superficies aëris superveniant :) & nihilominus Petrus non variatur: ergo non est de hujus essentia.
- 244 Ob. 6. urg. Materia Petri potest alteri convenire (: *manento Petro n. hoc destructo c.:*) v. g. Barbaro, illum devoranti: ergo non est essentialis pars. *Vid. n. 98.*

## ARTICULUS II.

*Utrum materia & forma uniantur immediate seipsis sine aliqua unione superaddita?*

- 245 **P**Rænotandum: Quadruplicem distinguere posse unionem, vid. *effectivam* (quæ est actio unientis) *dispositivam* (quæ sunt dispositiones ad unionem concurrentes) *relativam* (quæ est mutua inter extrema respectus) & *formalem*, per quam extrema dicuntur formaliter unita. Porro duas primas esse distinctas *realiter*, aliunde constat: tertiam autem esse *indistinctam* colligi potest ex dictis in Log.

à n. 869. Quapropter ad ultimam devolvitur difficultas, &

CONCLUSIO: Materia & forma uniantur seipsis *sine* aliqua distincta & superaddita unione. *Ita TT. fere omnes ex S. Th. 1. p. q. 76. à. 7. &c.*

Prob. 1. Forma *secundum se* est ratio formalis actuandi materiam, & materia *secundum se* est ratio formalis *recipiendi* formam, ut loquitur S. D. ergo non indigent unione *superaddita* intermedia: sicut per aa. quia *unio modalis* est ratio formalis uniendo, non indiget medio, quo uniat.

Respondent aa. Quod materia & forma sint *ratio formalis* uniendo in actu *primo* tantum, non autem in actu *secundo*; alias semper essent unitæ.

Contra est: Etsi *unio modalis* in actu *secundo* non uniat, & *albedo* actu non dealbet, nisi suppositis certis requisitis, tamen sunt *ratio uniendo* & *dealbandi* formalis etiam in actu *secundo*: ergo pariter etsi materia & forma non sint unitæ, nisi suppositis certis requisitis, sc. dispositione, actione unitiva, & mutua præsentia, tamen erunt *ratio uniendo* etiam in actu *secundo*.

Prob. 2. Entia non sunt multiplicanda sine necessitate: atqui *nulla* est necessitas unionis *modalis*; quia tota & omnis denominatio ac determinatio (quam aa. suis *modis* adscribunt) explicari potest per sola connotata in obliquo & entia absoluta, veluti constabit ex solutione objectionum; ergo. Deinde: exercitium *durationis, ubicationis, nec realiter nec modaliter* distinguitur à re *durante & ubicata*, ex n. 577. ergo nec exercitium *unionis* formalis distinguitur ab extremis unitis; cum habeant majorem proportionem. Sic Magnes, ut uniat ferri, palea succino, aut hedera ulmo, non indigent vinculo *superaddito*.

Objicies 1. Materia & forma, si essent *ratio formalis uniendo*, deberent semper esse *unitæ* (: *ry. d. a. absolute n. suppositis dispositionibus, actione unitiva & mutua præsentia non tantum quoad locum sed etiam quoad informationem, c.:*) atqui hoc non contingit; ergo.

Ob. 2. Forma *de se* non est unita materiae (: *effective c. formaliter n.:*) quia sic tantum est *unibilis*: ergo debet *uniri* per aliquid aliud (: *formaliter n. effective c.* Nam sic unitur per actionem agentis, quæ facit formam esse in materia. :)

Clamas: Anima, dum unitur corpori, *aliter se habet* (: *ratione modi superadditi n. ratione corporis adjuncti c.:*) ergo per illam actionem aliquid recipit. Deinde: etiam Angelus potest animam *conjungere* corpori (: *præsentia locali c. informativa n.:*) ergo si uniri  
nil

- nil aliud est, quam animam esse in materia, per Angelum poterit fieri *resurrectio* naturaliter.
- 253 Ob. 3. Non datur transitus de contradictorio in contradictorium sine *nova forma* (: *intrinseca* semper n. *intrinseca* vel *extrinseca* c. :) atqui quando partes uniuntur, transeunt de contradictorio in contradictorium, nempe de *non esse unito* ad *esse unitum*: ergo acquirunt *novam formam* (: *intrinsecam* n. *extrinsecam* c. :) quæ est unio.
- 254 Replicas: Murus non-albus non potest transire in album sine aliqua *forma intrinseca*: ergo etiam materia non-unita non potest transire in *unitam* sine unione superaddita (: n. c. Quia murus non est *essentialiter* sua albedo, quemadmodum *materia* essentialiter & ex natura sua est *receptiva* formæ, & forma informativa materiæ; consequenter ut uniantur non indigent vinculis; quibus ob eandem rationem etiam non indiget ferrum respectu magnetis &c. :)
- 255 Ob. 4. Materia & forma habent indifferentiam intrinsecam ad *esse unitum* (: *intrinsecum* n. ad *esse unitum extrinsecum* sc. ad certa connotata, quibus positis statim formaliter seipsis uniuntur c. Sic *unio modalis*, etsi de se sit indifferens, ut uniatur his vel illis partibus, supposita tamen sui *existentia* ceterisque requisitis, partes statim unit formaliter, & seipsa est unita :) ergo debet tolli per aliquid *intrinsecum*; sicut indifferentia muri ad albedinem, non tollitur nisi per quid *intrinsecum*.
- 256 Ob. 5. Unio formalis realiter separatur à materia & forma (: secundum id quod dicit in *recto* n. quod dicit in *obliquo* c. :) ut patet in morte hominis, ubi perit unio, manente materia & forma; ergo.
- 257 Instabis: Unio in *recto* est *actuale exercitium* uniendo (: si ponantur *omnia* requisita c. secus n. M. :) quia actualiter unire est de *essentia* unionis (*nude* spectatæ n. *cum* suis requisitis c. Sic albedo actualiter non dealbat, nisi suppositis certis requisitis :) atqui hoc exercitium potest separari à materia & forma; ergo unio potest separari quoad *rectum*.
- 258 Ob. 6. Si unio actualis non distinguitur à materia & forma (: neque *secundum rectum* neque *secundum obliquum* c. si distinguitur saltem *secundum obliquum* n. :) tunc erunt *infinita actualitatis*; quia sibi identificarent actum *secundum* & *ultimam actualitatem* (: in genere causæ *extrinseca* n. in genere causæ *intrinseca* c. :) atqui hoc dici non potest, ergo. m. p. Alias *semper* essent in exercitio unionis (: *secundum rectum* exercitii c. *secundum obliquum* exercitii n. :)
- 259 Ob. 7. urgendo : *Causa efficiens* non potest sibi identificare *ultimam actualitatem* & *actum secundum*: ergo neque *causa formalis*, aut *materialis* (: n. c. Quia actus *secundus* in cau-

sa *efficiente* est *perfectio*, sicque hanc faceret actum purum: e contra in *causis extrinsecis* actus *secundus* est tantum *imperfectio*; cum causentur communicando seipsas per *modum partis*: adeoque per hunc actum sibi identificatum non fiunt actus purus: sicut ex eo, quod creatura sit *prima causa deficiens*, non inferitur actus purus; quia *deficere* non est *perfectio*: ) Præsertim: quia materia sic haberet sibi identificatum aliquem actum (: *logicum* seu *propositionis* c. *physicum* & verum subd. quoad id quod dicit in *recto*, n. quod dicit in *obliquo* c. :) ergo.

Inst. Nulla res potest sibi identificare *existentiam*; quia in genere *entis* est *ultima actualitas*: ergo etiam materia & forma non possunt sibi identificare *unionem* actualem; quia *hæc* in genere *unibili* est *ultima actualitas* (: *actuabilis* tamen adhuc *ab alio* actu, sc. *ab existentia* c. *non actuabilis*, quemadmodum esset *existentia identificata essentia*, n. :)

Dices: Idem non potest esse *uniens* (: *effectivum* c. *formale* n. Sic lux est id, quo videtur, & quod videtur; sic gluten unit & unitur asseri :) & *unitum*: atqui materia est *unitum*; ergo non potest esse *uniens*.

Ob. 8. Si unio non distinguitur, tunc homo neque generatur, neque corrumpitur; cum sic nulla pars ejus generetur aut corrumpatur; consequenter neque *homo*: siquidem homo nil aliud sit quam omnes partes (: ut *unita* & in *recto* spectatæ c. ut *separata* & in *obliquo* n. Quippe D. Dionysius de *cæl. hier.* ait: *mors in nobis non est substantia corruptio, sed unitorum separatio*: ) ergo.

Regeres: Si unio non distinguitur, saltem in generatione *substantiali* hominis non dabitur *terminus formalis* partialis (: de *novo* productus c. de *novo unitus* qui est anima rationalis, vi *ultimæ dispositionis* à generante positæ *acta*, n. Nec requiritur, ut per quamlibet actionem *substantialem* aliquid de *novo* producatur, ut patet in actione *transsubstantiva* panis in corpus Christi, per quam sacerdos producit Corpus Christi, & tamen illud corpus jam supponitur *productum*: ) ergo. *Vid. Theol. nost. P. VII. n. 561.*

### ARTICULUS III.

An totum physicum realiter adequate distinguatur à partibus simul, unitim, & in *recto* sumptis?

Prænotandum: Certum esse, Totum realiter *inadequate* distingui à qualibet parte *seorsim* tanquam includens ab incluso: item à partibus *simul* sumptis sed *non unitis*; uti patet in materia & forma, quæ *defacto* dantur, nec tamen datur totum v. g. S. Petrus: item si una pars importetur in *recto*, altera in *obliquo*, ut

F mate-

materia recipiens formam &c. Solummodo itaque circa præsentem titulum superest dubium, &

265 CONCLUSIO : Totum compositum physicum non distinguitur realiter adæquate à partibus simul, unitim, & in recto sumptis. Ita TT. & RR. fere omnes contra Scotistas & TT. aliquos, Renz, Magg. &c.

266 Prob. 1. Aristoteles 4. phys. tex. 23. ait : totum nihil aliud esse præter partes ; cui S. Thomas 1. 2. q. 13. a 1. accedit dicens : homo nec est corpus solum, nec anima sola, sed utrumque simul : atqui hi textus non possunt sumi in sensu causali tantum ( prout volunt aa. ) quasi partes causent totum ; quia in sensu causali partes non possunt de toto prædicari in recto, siquidem falsum sit, quod causa in recto sit effectus : ergo. Ex his

267 Prob. 2. Totum physicum & partes unitæ de se invicem in recto prædicantur ; nam anima rationalis, & caro, ut ait S. Athanasius, unus est homo : non tantum causaliter ( ut volunt aa. ) sed etiam identice & formaliter ; alias quando dico, Petrus est homo, esset propositio etiam causalis : quod est contra communem, cum sit formalis & identica essentialis : ergo.

268 Confirmatur : Juxta Symbolum S. Athanasii, sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita DEUS & homo unus est Christus : atqui Deus & homo unus est Christus in sensu etiam identico ( alioquin foret periculum incurrendi errorem Eutyctetis dicentis, in Christo ex duabus naturis vel essentiis resultare tertiam naturam seu essentiam ) ergo pariter anima rationalis & caro unus est homo in sensu etiam identico. Vid. P. Ruedorffer, hic. à. n. 6.

269 Prob. 3. Totum logicum, v. g. animal rationale, non distinguitur realiter à partibus logicis, sc. animalitate, & rationalitate : ergo neque totum physicum distinguitur à partibus physicis : secus in apposita perdice possent comedi partes, & tamen tota perdix relinqui intacta.

270 Obijcies 1. Materia & forma ( : R. d. in recto n. in obliquo c. : ) causant totum : ergo ab iis distinguitur. c. p. Omnis effectus distinguitur à sua causa ( : extrinseca c. intrinseca subd. adæquate & per modum excludentis & exclusi n. inadæquate & per modum includentis & inclusi c. Sic partes logicae aut integrales, etsi causent totum, ab eo tamen adæquate non distinguuntur : )

271 Ob. 2. Urg. Quod una pars sumatur in recto, altera in obliquo præcise provenit ab intellectu ( : formaliter & quoad explicationem c. fundamentaliter n. Alias idem esset, Petrus occidit Paulum, & Paulus occidit Petrum : ) atqui materia & forma independenter ab intellectu causat totum ; ergo id causant sive sumantur in recto, sive in obliquo.

Instas : Partes in recto non sunt ipsum totum ; ergo. a. p. Etiam in recto adhuc sunt plura ( : non unita n. unita per modum actus & potentiae c. : ) consequenter non possunt facere unum ( : unitate simplicitatis c. compositionis n. : )

Ob. 3. Taliter compositum erit causa adæquata sui ipsius ; ergo. S. p. Partes divisim acceptæ sunt causa solum inadæquata ( : in ordine ad totalitatem effectus c. in ordine ad totalitatem causa n. Nam neutra in suo genere admittit aliam causam : ) ergo simul spectatæ faciunt unam causam totalem.

Replicas : Causæ totales ( : tam quoad totalitatem causa quam effectus c. totales duntaxat quoad totalitatem causæ n. Sic Deus, sol, & homo, producent hominem adæquate totalitate causæ : ) nequeunt constituere unum per se : atqui juxta nos materia & forma sunt causæ totales ( : totalitate causa c. secus n. : ) ergo non faciunt unum per se.

Ob. 4. inst. Ex hoc sequitur, totum substantiale non esse diversum à toto accidentali : atqui hoc non potest admitti ; ergo. S. M. p. Etiam totum accidentale nil aliud est quam suæ partes & in recto spectatæ ( : unitæ per modum actus & potentiae n. secus c. : ) ergo.

Repones : Duo liquores v. g. vinum & aqua salsa, inter se uniti etiam in recto sumpti componunt tertiam entitatem v. g. acetum : ergo quoque materia & forma ( : n. c. Quia vinum & aqua sunt entia completa, consequenter non possunt semetipsis constituere unum ens per se nisi per sui alterationem & corruptionem substantialem, quæ deinde est generatio alterius mixti & unius per se : ) Vid. P. Bernard. Oberhauser hic n. 358.

Ob. 5. Totum compositum est una indivisibilis entitas : ergo non potest identificari duabus entitatibus realiter distinctis ( : completis & necdum in unam adæquatam entitatem reductis c. incompletis & in unam entitatem reductis n. Nam totum compositum nil aliud est quam hæ ipsissimæ partes unitæ, simul & in recto spectatæ, utut pro omni aliâ statu realiter distinctæ sunt. Sic eadem indivisibilis existentia communicatur materiæ & formæ ; ac eadem anima rationalis distinctis realiter membris : ) quales sunt materia & forma.

Ob. 6. Quando materia & forma uniantur, fit aliqua res nova, sc. novum compositum : atqui si compositum non esset distinctum à materia & forma per unionem non fieret res nova. m. p. Quod jam est, illud non fit ( : eo modo, quo est c. alio modo n. : ) atqui partes jam sunt ante unionem ( : separate c. jam sunt unitæ n. Nam ad productionem novi entis sufficit, quod duo entia incompleta de novo uniantur : ) ergo.



- 280 Dices: Etsi plures lapides coacerventur, non tamen producat *nova res*: ergo etiam, licet materia & forma inter se uniantur, non producat novum compositum (: n. c. Quia lapides non uniantur per modum *actus & potentia*, ac entium incompletorum, uti tamen uniantur materia & forma. Imo quando lapides debite uniantur, producat novum compositum v. g. templum à lapidibus *indistinctum* realiter: ergo etiam, quando uniantur materia & forma, producat compositum à materia & forma *indistinctum*.)
- 281 Ob. 7. Totum habet proprietates & prædicata diversa à *partibus* (: seorsim sumptis c. collective & in *recto* n.): quia totum est *ens completum*, corruptibile; partes verò sunt *incompletæ*, & *in corruptibiles* (: seorsim c. simul *sumpta* & in *recto* n:) ergo.
- 282 Ob. 8. Quæ sunt eadem uni tertio (: *divisim & seorsim* c. quæ sunt eadem tantum *conjunctim & unitim* n. Sic tres crucigeri, etsi sint ipse denarius, quia tamen *seorsim* non sunt idem cum denario, ideo non sunt idem *inter se*;) sunt idem *inter se*; atqui partes, juxta nos, sunt idem uni tertio (: n. *supp.* quod detur aliquod tertium, si partes sumantur in *recto* unitim: sc. composito; ergo sunt idem *inter se*.)
- 283 Ob. ult. Varias auctoritates Arist. & S. Th. passim asserentium: *Totum esse aliquid PRÆTER* partes (: *qua causantes*, quatenus nimirum una sumitur in *recto*, altera, in *obliquo* c. *secus* n. Etenim transacta *semel* unione materiae cum forma, jam totum non amplius sit ex illis duabus sed *intransitive* ex iisdem constat:) item: *his tria* non esse *sex* (: *formaliter* c. quia senarius est numerus à quolibet ternario specie distinctus: *materialiter* n:) Rursus: *B.* non esse *b. & a.* (: *sectula unitate* ordinis. c. nam *B. & A.* etiam possunt esse *ab*: *secus* n: ergo distinguitur à partibus (: seorsim aut in *obliquo* sumptis c. *secus* n. :)

\*\*\*\*\*

TRACTATUS II.  
IN LIBRUM II. PHYSICORUM.  
DISPUTATIO I.  
DE CAUSIS IN GENERE,  
ET DUABUS PRIMIS IN SPECIE.

IN præsentis libro secundo Physicorum cum Philosopho agemus de *causis* rerum naturalium tam *extrinsecis*, efficiente sc. & finali, quam *intrinsicis*, materiali nimirum & formali. Et quia non pauci rerum effectus à *natura, violento, & arte*, imo etiam *casu, fortuna, & fato*

proveniunt, ideo in hujus Disputationis Quaestione prima mox dicta breviter attingemus: in altera deinde causas in communi: ac postmodum in tertia duas intrinsecas in particulari: extrinsecas demum in Disputatione altera.

QUÆSTIO I.  
DE NATURA, VIOLENTO,  
ET ARTE.

ARTICULUS I.

Quid sit natura? & quibus conveniat?

PRænotandum: *Naturam* hic sumi pro principio intrinseco motus & quietis rerum, quæ circa nos sunt. Quippe etsi *essentia* sit re ipsa quoque principium motus & prima radix operandi, in quantum tamen dat operari, dicitur *natura*; ut verò tribuit *esse*, vocatur *essentia*.

CONCLUSIO I. *Natura recte definitur: est principium motus & quietis ejus, in quo est primo, per se, & non secundum accidens. Ita communis ex Phil. l. 2. phys. c. 2. & S. D. lect. 1.*

Explicatur: *Principium* (est loco generis) & *causa* (ut excludatur privatio) *motus* (non tantum localis sed cujuscunque) & *quietis* (ubi quietes non sumitur privative sed positive pro possessione termini) *ejus in quo est primo* (id est, *natura* debet esse principium *intrinsecum* & *primum* seu *radicale*) *per se & non secundum accidens* (per quod distinguitur *natura* ab *arte, qua* aliquando per accidens est principium motus ejus in quo est, ut cum Medicus sanat seipsum) ergo.

CONCLUSIO II. *Ratio nature convenit materiae & formæ omnium rerum sublunarium: imo etiam cælorum: uti & animæ rationali, non tantum in statu conjunctionis: sed quoque in statu separationis. Ita communior Physicorum.*

Prob. 1. pars: Utraque participat definitionem nature; nam *materia* est principium *passivum* seu subjectum quo omnium motuum corporeorum; forma autem est principium *activum* accretionis, sensationis &c. ergo.

Prob. 2. Pars: *Materia & forma cælorum* sunt principia saltem *passiva* motus *naturalis*, nempe *circularis* (qui ad causam universalem omnium generabilium necessarius est) ab Intelligentiis juxta inclinationem collati: ergo.

Prob. 3. pars: *Anima rationalis* in statu conjunctionis *actualiter* est principium motus sensibilis, admirationis, risus, fletus, &c. in statu separationis autem est tale principium saltem *exigivæ* & quoad rectum; ergo.

- 294 Obiicies 1. cont. 1. concl. Motus & quies opponuntur: ergo natura non est principium utriusque, eoquod sit determinata ad unum. a. p. Quies est privatio motus (: R. d. si fumatur pro possessione termini n. secus c. :) ergo.
- 295 Ob. 2. cont. 2. concl. part. 1. Si ratio natura convenit materiæ & formæ, tunc in quolibet composito erunt *duæ* naturæ (*incompleta & subordinata c. secus n.:*) ergo.
- 296 Ob. 3. cont. 2. part. Omnis motus naturalis est tendentia ad terminum: atqui *cælum* per motum *circularem* non acquirit terminum (: sibi c. sublunaribus, in quæ influit, n. :) ergo. Præcipue: quia alioquin *quies*, quam habebit post diem iudicii, cælo erit *violenta*; cum duo contraria eidem rei non possint esse connaturalia (: pro *eodem* statu c. pro *diverso* n. Sic lapis *extra* centrum naturaliter movetur, & *intra* quiescit: ) ergo.
- 297 Ob. 4. Motus cælorum provenit ab *extrinseco* (: ita tamen ut *intrinsece exigatur* & recipiatur à passio c. secus n. :) ergo non est *naturalis* (: active c. *passive* n. :) )
- 298 Ob. 5. cont. 3. part. Motus animæ rationalis *qua talis*, vid. intellectio & volitio, non sunt *sensibiles* (: quoad se & *entitative* c. quoad ministerium & *presuppositive* n. Nihil enim est in intellectu, nisi prius fuerit in *sensu*, saltem *exigitive* : ) ergo non est principium motus *physici* (: quoad *intellectionem* t. quoad *admirabilitatem* n. : ) Jam cum *naturali* opponatur *violentum*.
- 299 Quæres 1. Quid sit violentum? R. Est *id*, quod *provenit à principio extrinseco*, nullam *vim conferente passio*. Adeoque ad violentum requiritur, ut non fluat ab *essentia passio*, & ut repugnet *hujus inclinationi*.
- 300 Quæres 2. Utrum *Deus* inferre possit violentiam? R. Quod *non*, si agat ut author *universalis*: quia tunc ei omnis creatura naturaliter se subternit; consequenter non patitur violentiam: quam tamen pateretur si *Deus* ageret ut causa *particularis* contra inclinationem creaturæ.
- 301 Quæres 3. An materiæ primæ inferri possit violentia? R. Quod *non*, si sumatur *secundum se*: quia sic ad omnes formas est indifferens. Bene verò, si sumatur quatenus est sub *certa forma*: quia vi hujus habet inclinationem ad *certos motus*. Hinc si sub forma lapidis moveatur sursum, patitur violentiam.
- 302 Quæres ult. Utrum *idem* motus possit sub diverso respectu *simul* esse naturalis & violentus? R. *Affirmative*: sic visio contra voluntatem facta est motus naturalis & violentus.

## ARTICULUS II.

Quid sit Ars? & an possit efficere opera natura, præsertim aurum?

CONCLUSIO I. Ars bene definitur: est *habitus cum vera ratione factivus*. Ita communis. 303

Explicatur: Sensus est, quod ars sit habitus residens in intellectu, illumque dirigens ac facilitans, dum operatur ad extra.

CONCLUSIO II. Ars *immediate* & *effe*ctive non potest producere opera naturæ: bene tamen *mediate* & *directive*, *Iterum communis*. 304

Prob. 1. pars: Ars, utpote accidens, est *imperfectior naturæ*, quæ est substantia: ergo *hujus effectus* non possunt præcontineri in arte tanquam in sua causa, consequenter nec ab ea produci. 305

Prob. 2. pars *experientiâ*, qua videmus per artem Medicam, dum applicat activa passivis, reddi sanitatem, in furnis *Ægyptiacis* excludi pullos &c. ergo. 306

CONCLUSIO III. *Absolute* & *physice* loquendo non repugnat fieri aurum per artem *alchymicam*: *moraliter* autem hoc est impossibile. *Est contra communiorem quoad alteram partem*. 307

Prob. 1. pars: Aurum per artem fieri non implicat ex parte *materiæ*. (quia materia est capax omnium formarum, & insuper metalla aliqua cum auro habent affinitatem) nec ex parte *formæ* (quia hæc est generabilis & educibilis è potentia materiæ *naturaliter*; alioquin nec sol illud posset producere) ergo. 308

Prob. 2. pars: Nunquam vel rarissime à tot sæculis verum aurum per artem confectum est, uti perhibet S. Th. 2. *sent. dist. 7. q. 3. a. 1. ad 5*. Nam ad ejus confectioem requiruntur causæ adeo *mirifice* attemperatæ, ut *moraliter* loquendo eas vix apprehendere queat *humana sagacitas*: ergo. Imo etsi Angeli *boni* hoc arcanum noverrint, *mali* nihilominus probabiliter id ignorant per prohibitionem *extrinsecam*: quia aliàs certe implorati, unum vel alterum *alchymistam* docuissent; ergo. 309 310 311

Ob. 1. cont. 3. concl. part. 1. Ad productionem auri requiritur *calor solis* (: R. d. *M. ordinarie c. extraordinarie n.:*) juxta S. D. *l. c.* atqui *hic* nequit ab arte suppleri (: *ordinarie c. extraordinarie n.* Sic enim calor *vitalis* in exclusionem pullorum suppleri potest, *absolute* etiam suppleri poterit calor solis: ) ergo. 312

Ob. 2. urg. Calor ignis non efficit pullos (: *immediate* & *principaliter* c. *mediate* & *instrumentaliter* n. : ) ergo nec aurum. 313

Ob. 3. Ars nequit unam gemmam mutare in aliam specie distinctam: ergo nec metallum (: t. a. n. s. Quia gemmæ ad gemmam non 314

non est ea cognito, quæ metalli ad metal-  
lum:)

315 Ob. 4. cont. 2. part. Jam sæpius per al-  
chymiam confectum est aurum (: spurium vel  
supposititium c. *verum* n. vel subd: *rarissime* &  
quidem ex speciali Dei aut Angeli boni assisten-  
tia, quæ etiam communicari potuit Ethnicis,  
velut Prophetia communicata fuit Sybillis, c.  
secus n. :) ergo non est moraliter impossibile.  
*Vid. P. Ruedorffer part. 3. c. 2. q. 1. a. 3. §. 3.*  
*à n. 19.*

316 Quæres: Quid sit ars Magica? R. Magia  
generaliter sumpta est ars, vi creata efficiens mi-  
ra quædam & insolita, quorum causæ commu-  
nem sensum & captum hominum excedunt.  
Dividitur in naturalem & artificialem: item in  
licitam & illicitam &c. De quibus videatur P.  
Renz hic q. 2. a. 1. & 2. &c.

## QUÆSTIO II. DE CAUSIS IN COMMUNI. ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit causa?

317 CONCLUSIO I. Causa physica in com-  
muni recte definitur, quod sit *principium*  
*per se influens esse in aliud.* Ita quoad rem  
*omnes ex S. D. 2. phys. lect. 10.*

Explicatur: Est *principium* (loco *generis*) *per*  
*se* (ad excludendas causas per *accidens*) *influ-*  
*ens esse*, (id est, quæ reali & positivo influxu  
dat *esse* effectui, & facit illum à se dependere;  
hinc *privatio*, & *conditio* sine qua *non*, causæ non  
sunt) *in aliud* (non in alium; per quod indica-  
tur, quod effectus debeat in *natura*, & *essentia*  
realiter saltem inadæquate distingui à causa: nam  
*aliud* diversitatem in *natura* significat, *alius* au-  
tem tantum in *persona*. Hinc in Divinis Pater  
non est causa Filii; quia huic non dat aliam na-  
turam à propria: adeoque non est *aliud* à Patre  
sed *alius*, ex tr. de Deo Trin. à n. 694.

318 CONCLUSIO II. Causarum striçte di-  
ctarum genera sunt quatuor sc. causa *efficiens*, cau-  
sa *finalis*, causa *materialis*, & causa *formalis*. Ite-  
rum communis ex Arist. 2. phys. c. 3. & 7,

Probatur: Quia quatuor sunt modi influ-  
endi esse in effectum; nam causa vel influit in  
effectum ut id à quo fit (& est causa *efficiens*)  
vel ut id, *cujus* gratia fit (& est causa *finalis*)  
vel ut id, *ex quo* fit (& est *materia*) velut id  
quo fit & *constituitur* in certa specie (& est *for-*  
*ma*) ergo.

319 Ob. 1. cont. 1. concl. Sola causa *efficiens*  
influit esse in effectum (R. d. influxu *activo* c.  
influxu *actuativo*, *receptivo*, aut *motivo* n. :)  
quia sola causa *efficiens* agit: ergo definitio non  
convenit *omnibus* causis.

R. P. A. Schnell, Phil. P. II.

Ob. 2. Definitio causæ etiam non convenit  
*soli* causæ: ergo. a. p. Etiam Pater in Divi-  
nis influit esse in Filium (: *distinctum* n. indi-  
stinctum c. Ad causam autem requiritur, ut esse  
effectus distinguatur saltem inadæquate ab esse  
causæ: & ideo dicitur in *aliud* :) & tamen non  
est causa Filii; ergo.

Ob. 3. cont. 2. concl. Dantur causæ, quæ  
non spectant ad aliquam ex prædictis quatuor:  
ergo. a. p. *Essentia* est causa proprietatum &c.  
atqui hæc ad nullum genus causæ pertinet (: *di-*  
*recte* c. *reductive* n. pertinet enim ad genus cau-  
sæ *efficientis*: idem proportionaliter dicendum  
est de *fundamento* relationis, *objecto* &c. :)  
ergo.

Quæres: An prædicta divisio causarum sit  
in species *infimas*? vel *subalternas*?

R. Quod sit in *subalternas*: quia infra &  
supra se patitur alias divisiones: Et quidem magis  
immediate *causa in communi* dividitur in *in-*  
*trinsecam*, & *extrinsecam*. Deinde causa *efficiens*  
subdividitur in *primam* & *secundam*: hæc in  
*principalem* & *instrumentalem*. Causa *finalis* in  
*ultimam* & *non-ultimam* seu *proximam*. Cau-  
sa *materialis* in *subjectivam* & *dispositivam*.  
Causa *formalis*, in *intrinsecam* & *extrinsecam*  
&c.

Quæres. 2. An hæc quatuor causæ semper  
*realiter* inter se distinguantur? R. Negative: si-  
quidem eadem entitas ad omnes quatuor causas  
pertinere possit. Sic anima rationalis, quatenus  
est principium suarum operationum, est causa *ef-*  
*ficiens*: quatenus *actuatur* materiam, est causa *for-*  
*malis*: quatenus *recipit* proprietates, est causa  
*materialis*: quatenus *intenditur* à generante, est  
causa *finalis*: ergo.

Quæres 3. Quænam ex istis causis sit *pri-*  
*or* alia? R. 1. In ordine *causandi* prima est *causa*  
*finalis*: quia movet *efficientem* ad agendum.  
Secunda *efficiens*: quia quod aliud conjungit, est  
prius conjuncto; sed *efficiens* conjungit *materiam*  
& *formam*; ergo. Tertia est causa *materialis*:  
quia ex materia forma educitur. Quarta  
demum *formalis*: quia sine *forma* non potest re-  
sultare compositum; consequenter ultimo re-  
quiritur causalitas formæ: ergo.

R. 2. In ordine *existentiæ* prima est causa *ef-*  
*ficiens*: quia non *causat*, nisi in quantum est  
*actu*. Secunda *finalis* seu compositum: quia  
hoc existit *per se*. Tertia *formalis*: quia *mater-*  
*ia*, non nisi ratione formæ existit: sicque *mate-*  
*ria* est ultima; ergo.

R. 3. In ordine *perfectionis* prima est *finis*:  
& *efficiens*: quia habent *modum* causandi *per-*  
*fectiorem* (utpote cum *causent* ut entia *comple-*  
*ta*, & ut *perficiant*: Et quia *finis* est causa *effi-*  
*cientis* in ratione causæ, *finis* adhuc est *perfecti-*  
*or* *efficiente*) quam *materia* & *forma*; quæ cau-  
sant ut partes & entia *incompleta*, ac ut *perfici-*  
*antur*. Nihilominus sic forma adhuc est prior

G

mate-

materia; quia forma causat per modum actus; materia solummodo per modum potentiae: ergo.

327 Quæres 4. Utrum dictæ causæ possint sibi invicem esse causæ? R. 1. Causæ in eodem genere causandi non possunt sibi invicem esse causæ: quia idem in eodem genere esset prius (utpote causa) & posterius, utpote causatum. Deinde: idem causaret seipsum; quia quod est causa causæ, est quoque causa causati; ergo. Duæ occæ (ut occurram objectioni) ad se invicem inclinatæ, non probant mutuam causalitatem sed potius mutuam resistentiã &c.

328 R. 2. Causæ intrinsecæ, etiam diversi generis, non possunt sibi invicem esse causæ: quia causant componendo; atqui nec materia formam, nec forma componit materiam intrinsece; ergo. Nec obest, quod forma educatur ex materia; quia non accipit esse ab illa tanquam ex constitutivo intrinseco sed tantum tanquam ex subjecto sibi extrinseco.

329 R. 3. Causæ extrinsecæ generis diversi possunt sibi mutuo esse causæ: quia causa finalis, quatenus est in intentione, movet causam efficientem ad operandum; quatenus verò est in executione, causatur ab efficiente. Nec taliter causat seipsam, quia finis causat intentionaliter & objective tantum; causa efficiens autem dando esse reale.

330 Quæres ult. Num omnis causa sit suo effectu prior? & perfectior? R. Ad 1. affirmative quoad prioritatem naturæ (quia hæc non arguit aliquod instans reale temporis sed duntaxat dependentiam effectus à causa: atqui omnis effectus dependet à sua causa; ergo) non tamen quoad prioritatem temporis: quia multi sunt effectus, qui quidem à causa dependent, nec tamen sunt posteriores tempore, ut patet in radio solis, in illuminatione lucis &c.

331 R. Ad 2. pariter affirmative; quia omnis effectus dependet à causa, & non vicissim; ergo. Interim tamen quoad entitatem effectus potest esse æqualis causæ (ut dum homo generat hominem) aut etiam perfectior, ut dum accidentia producant substantiam &c. Vid. P. Renz hic q. 3. a. 2. & seqq.

## ARTICULUS II.

An idem numero effectus possit produci à duplici causa totali?

332 Prænotandum: Statum quæstionis esse, an idem numero effectus possit produci vel simul vel successive à pluribus causis ejusdem generis & ordinis, ac totalibus in actu secundo? Nam quod idem numero effectus à causa increata & creata, à causa materiali & formali, finali & efficiente, uti & pluribus ejusdem generis, sed partialibus tantum, produci queat, hic interim transmittimus.

CONCLUSIO: Idem numero effectus etiam de potentia Dei absoluta, neque simul: neque divisim à duplici causa totali creata produci potest. Est communior T. T. ex S. D. 5. metaph. lect. 2. &c. contra RR.

Prob. 1. pars: Quia alias illæ duæ causæ essent totales (ut supponitur) & non essent totales; siquidem neutra exhauriret totam causalitatem effectus; ergo. Vid. tr. de Incarn. n. 224.

Prob. 2. pars: Quia una causa non habet virtutem & actionem numericam alterius causæ (tum quia individuatio sumitur à subjecto; tum quia alioquin illa causa non esset limitata virtutis) quæ virtus & actio numerica ad productionem ejusdem numero effectus indispensabiliter requiritur; secus enim effectus ille non præconteretur ibidem; ergo.

Objicies 1. Potest idem numero effectus produci à duplici causa partiali: ergo etiam à duplici totali. a. p. Est eadem tractio sive currus trahatur ab uno sive à duobus equis (: R. d. a. est eadem numero n. specie c. Nam si duo equi trahant currum, qui trahi potuisset ab uno, mutantur circumstantia numerica; cum duo equi non habeant eandem numero virtutem, quam habeat unus; consequenter non amplius erit eadem numero tractio. Hinc S. D. quodl. 5. a. 8. ait: impossibile est, eundem filium nasci, sive sit alius pater sive alia mater: sicut nec est idem numero sigillum, sive sit alia cera, sive aliud corpus sigilli: ) ergo.

Ob. 2. In ordinatione plures sacerdotes simul conficiunt idem Sacramentum Evcharistiæ (: numero n. quia non est eadem numero actio, si plures consecrant: idem specie c. : ) quod confecisset solus Episcopus. Imo eadem hostia, consecrata à Petro, potuisset consecrari à Paulo (: ita ut esset idem numero Sacramentum n. numero distinctum c. Quia tunc esset numero distincta actio transsubstantiativa: ) ergo idem numero effectus potest produci à duplici causa partiali & totali, tam simul quam divisim.

Dices: In Evcharistia, sive producat à Petro, sive à Paulo, est idem numero corpus Christi (: entitative & in recto c. formaliter & quoad connotationem n. Nam Corpus Christi à Paulo productum dicit aliam numero actionem, quam non dicit, si esset productum à Petro; consequenter & alias numero species consecratas, in quibus Sacramentum etiam in recto, saltem partialiter, consistit, ex tr. 1. de Sac. seu P. VII. nost. Theol. Schol. à n. 465. Sicut ergo non est idem numero filius, sive sit alius pater, sive sit alia mater; ita non est idem numero Sacramentum, sive sit alius minister, sive alia materia: ) ergo etiam idem numero Sacramentum.

Ob. 3. Quando duo ignes applicantur eidem stupæ, uterque eandem comburit (: eadem actione n. diversa c. : ) ergo simul producant eundem effectum (: specie c. numero n. Non enim

enim habent eandem numero actionem & virtutem :)

342 Urg. Virtus & actio unius causæ potest saltem Divinitus communicari alteri (: *materia-liter*, quemadmodum etiam visio potest poni in lapide, c. *formaliter* n. Secus enim esset infinitæ virtutis; cum non sit major ratio quod hæc numero virtus possit communicari, & non *quavis* alia :) ergo tunc producet eundem numero effectum (: in virtute *propria* n. *aliena* c. :)

343 Inst. *Causa universalis* defacto communicatur virtus causæ particularis (: quoad *speciem* c. quoad *individuum* n. :) ergo etiam *causa particulari* saltem Divinitus communicari potest

344 Ob. 4. Ignis A. continet in se totam speciem ignis (: modo limitato, & *contracto* ad certam *individuationem* c. modo *illimitato* n. :) ergo potest producere *omnem* ignem, etiam producibilem ab igne B. cum habeant æqualem virtutem (: quoad *speciem* c. quoad *numerus* n. Quippe quemadmodum agens per differentiam *specificam* limitatur, ne producat effectum *extra suam* speciem, ita per differentiam *individualem* limitatur, ne producat effectum *extra suam seriem individualem* :)

345 Replicas: Causa specifica potest producere unicum duntaxat specie effectum: ergo & causa *individua* unicum præcise individuum (: n. c. Quia hæc per unicum numero *actionem* potest *sigillare* plures materias: econtra causa specifica non potest sibi assimilare suos effectus, nisi in *unica specie*. Vid. Ruedorffer. *hic* n. 25. Deinde: quod effectus (: quoad *speciem* c. quoad *numerus* n. :) dependeat ab hac numero causa, est duntaxat quid accidentale; quia potuisset in *aliis* circumstantiis, consequenter & ab *alia* causa produci (: *idem numero* n. *secus* c. :) ergo.

346 Ob. 5. urg. Ignis A. continet in se totam speciem modo illimitato; ergo. a. p. Ignis A. comburit & ignefacit *quodlibet* lignum, ut videmus experientiâ: ergo potest producere *quemcunque* ignem modo illimitato. c. p. Alias aliquod lignum forte non combureret (: nisi materia ligni contineret effectus à *quocunque* igne producibiles c. *secus* n. Si cera continet in se figuras à *quocunque* sigillo imprimendas. Nec per hoc fit infinitæ virtutis; quia recipit per suam *emitatem*, passive se habendo :) ergo.

347 Insistes: Materia ligni continet effectus à quocunque igne producibiles (: quoad *speciem* c. quoad *numerus* n. Quia si applicetur alius *numero* ignis, producetur etiam ex ligno alius numero ignis :) ergo idem ignis potest produci à pluribus.

348 Ob. 6. Est *idem numero* ignis sive producatur ab igne A. sive ab igne B. ergo nulla solutio. a. p. *Materia*, è qua producitur ignis, est *eadem* numero: ergo etiam erit *idem numero* ignis. c. p. *Distinctio numerica* sumitur à

*materia* (: absolute spectata n. à materia *signata* quantitate c. quando autem est aliud producens & *alia* actio productiva, non amplius est *eadem signatio* :)

Repones: Ignis producendus non accipit 349 *materiam* ab igne producente; ergo nec *individuationem* (: n. c. Quia *individuat* non sumitur à sola materia sed etiam à forma seu à materia *formaliter* considerata, quatenus per *hanc* numero actionem & dispositiones est *sigillata*; quod habet ab igne *producente* :)


Clamas: Est *eadem numero* actio; quia 350 est *idem* subjectum (: *materialiter* tantum c. *formaliter* n. :) sc. *eadem* materia ligni: ergo quoque est *idem numero* effectus & *ignis*, sive producatur ab igne A. sive ab igne B.

Ob. 7. Ad productionem ejusdem numero effectus non requiritur *eadem numero* virtus & actio: ergo. a. p. DEUS potest producere eundem numero effectum, quem produxit agens creatum; & tamen non habet *eandem* numero virtutem & actionem (: *formaliter* c. *eminenter* n. :) cum causa creata; ergo.

Premes: Etiam *sol* *eminenter* continet vir- 352 tutes & actionem causæ particularis (: *adequate* & quoad *individuationem*, uti Deus continet in se omnem actionem causæ creatæ n. *inadequate* & quoad speciem seu genericæ c. Nam causa *universalis* creata nihil agit nisi *deturmetur* à causa *particulari* :) ergo etiam se solo poterit producere eundem numero effectum, quem produxit causa particularis.

Ob. 8. Potest idem numero effectus ab 353 una causa produci, & ab alia *conservari* (: *conservatione per se* n. *conservatione per accidens* c. :) ergo etiam potuisset ab hac secunda produci. c. p. *Conservatio* (: *per se* c. *per accidens* n. :) est altera & continuata productio: ergo.

Regeres: Potest idem numero effectus à 354 pluribus causis *destrui* per se; ergo etiam potest ab iis per se *conservari*. a. p. Idem bos potest occidi à Petro & à Paulo (: *eadem numero* occisione n. *diversa* c. Vel n. *suppositum*, quod occidens sit causa cadaveris, eoque *præcise removeat* prohibens: *causa enim* est ipsum generans, ex *Phys. Partic. n. 156. 307. &c.*



## QUÆSTIO III.

### DE CAUSIS INTRINSECIS, MATERIALI sc. ET FOR- MALI.

#### ARTICULUS I.

*Per quid causa materialis & formalis  
constituuntur in actu primo & secundo  
causandi? Et quis eorum  
effectus?*

355 **P**rænotandum 1. Etsi de materia & forma sub ratione quidditatis, item sub ratione nature jam plura dixerimus; de illis tamen sub ratione cause adhuc tria inquirenda restare, quæ insinuat titulus. Itaque

356 **P**rænot. 2. Causam materialem recte definire: est id, ex quo aliquid fit cum insit; seu, est principium, ex quo inexistente (per quod differt ab efficiente) & recipiente (per quod differt à formali) aliquid fit. Causa formalis autem est ratio ipsius, quod quid erat esse: seu, est principium ex quo intrinsece actuante aliquid fit.

357 **CONCLUSIO I.** Causa materialis & formalis in actu primo causandi constituuntur per suas proprias entitates. Est communis TT. contra RR.

Probatur: Causa materialis & formalis per seipsas sunt proxime aptæ ad constituendum compositum substantiale; cum materia per suam entitatem sit receptiva formæ, & forma informativa materiæ: ergo.

358 **CONCLUSIO II.** Causa materialis & formalis in actu secundo causandi iterum constituuntur per proprias suas entitates. Rursum communis TT.

Probatur: Positis certis requisitis, materia & forma per suasmet entitates actu sibi invicem uniuntur; ergo.

359 **CONCLUSIO III.** Nec materia est effectus formæ, nec forma materiæ: sed utriusque effectus est totum compositum. Iterum communis TT.

360 **Prob. 1. pars:** Materia non constituit formam tanquam pars, nec forma materiam: ergo neutra est effectus alterius. Vid. n. 328.

361 **Prob. 2. pars:** Totum compositum ex materia & forma intrinsece constituitur; ergo est illarum effectus.

362 **Objicies 1. cont. 1. concl.** Causa efficiens causat per aliquid à se distinctum: ergo etiam causa materialis & formalis (: n. c. & c. Quia materia & forma causant communicando suas entitates: causa efficiens autem operando ad extra; quod nequit fieri per propriam entitatem, eoquod esse & operari distinguantur in creatis :)

Ob. 2. cont. 2. concl. Si materia in actu secundo causat per suam entitatem, tunc habet actum sibi identificatum (: physicum n. logicum & propositionis, qualem etiam habent tenebræ actu existentes, c. :). Item materia semper erit actu unita formæ (: si adsint cætera requisita in obliquo c. secus n. Vid. n. 258. :). ergo.

Ob. 3. cont. 3. concl. Forma, saltem materialis, in esse & fieri dependet à materia (: ut à subjecto educationis c. ut à parte sui constitutiva n. :). ergo est illius effectus. Maxime: quia materia respectu formæ habet rationem subjecti (: informationis c. constitutionis n. :). ergo.

Ob. 4. urg. Materia habet à forma suam existentiam (: n. hoc; sed illam habet à composito :). & essentiam; quia per formam constituitur in certa specie (: in ordine ad se n. in ordine ad aliud sc. ad totum c. :). ergo est effectus formæ.

#### ARTICULUS II.

*De causa formali extrinseca, exemplari, seu ideali.*

**P**rænotandum: Hæc omnia coincidere; & hoc loco, ubi agitur de forma, tria quæri. Ad primum ex illis respondet hæc

**CONCLUSIO I.** Causa idealis recte definitur: est forma, quam imitatur effectus ex intentione agentis, determinantis sibi finem. Ita S. Th. q. 3. de verit. a. 1.

Explicatur: Idea est forma (loco generis) quam imitatur effectus (ad differentiam à formis intrinsecis) ex intentione agentis (ut excludantur formæ, quas casu & fortuito imitatur effectus) determinantis sibi finem: quia solæ creaturæ intellectuales per ideam agunt; ergo.

**CONCLUSIO II.** Ratio ideæ convenit proprie ideæ objectivæ tantum, non item formali. Est communis.

Probatur: quia ideæ objectivæ assimilatur effectus, non autem ipsi cognitioni seu ideæ formali; ergo.

**CONCLUSIO III.** Idea præcipue reducit ad causam formalem: potest tamen etiam aliquo modo pertinere ad causam efficientem: & finalem. Iterum communis.

**Prob. 1. pars:** Idea præcipue determinat ideatum ad certam speciem saltem extrinsece & per passivam sui imitationem; ergo præcipue spectat ad causam formalem.

**Prob. 2. pars:** Per ideam artifex, velut per formam, constituitur in actu primo ad efficiendum artefactum: ergo sicut forma naturalis aliquo modo pertinet ad causam efficientem, ita & idea.

Prob.

372 Prob. 3. pars: *Ideatum* ab artifice *intenditur* propter *idem* exprimendam: ergo quoque pertinet ad causam finalem.

373 Ob. 1. cont. 1. & 3. concl. *Forma* causalit informando (: *xy. d. M.* si sit forma *intrinsece* constituens c. si solum *extrinsece* determinans, *qualis* est idea, n. :) ergo male definitur, quod sit forma: nec bene reducitur ad causam formalem.

374 Ob. 2. cont. 2. concl. Res, in mente artificis existens, non est quid ab ideato distinctum (: quoad *esse precise* spectatum c. quoad *modum* & *statum essendi* n. :) ergo ratio ideæ non consistit in conceptu *objectivo*.

375 Deduces: Causalitatem ideæ in actu primo esse *aptitudinem* ad dirigendam effectiorem operis: in actu *secundo* autem esse ipsam *actualem directionem*.

## DISPUTATIO II.

### DE CAUSIS EXTRINSE- CIS, EFFICIENTE ET FINALI.

**C**AUSA *efficiens* & causa *finalis* dicuntur causæ *extrinseca*, quia non ingrediuntur *intrinsecam* rei constitutionem tanquam pars *intrinseca* sed tanquam principium *extrinsecum* solummodo. De prima tractabit *Quæstio prima*; de altera *Quæstio secunda*.

### QUÆSTIO I.

#### DE CAUSA EFFICIENTE.

#### ARTICULUS I.

*Quid? quæ causalitas? & quotuplex sit causa efficiens?*

376 **P**Rænotandum 1. *Dari* causam efficientem increatam, à *nemine* negari nisi ab *Atheo*: qui tamen *sufficiens* convincetur ex *dicendis à. n. 736*. *Dari* causas efficientes *creatas* saltem *spirituales*, negari non potest: quia homo alioquin nec intelligeret, nec vellet; & consequenter nec mereri, nec demereri, nec puniri posset: imo nec intellectivus foret, nec volitivus; quia frustranea foret potentia, quæ nunquam posset redigi in actum.

377 **P**Rænot. 2. Quamvis mox dicta communiter admittantur, nihilominus *Atomistas* negare, dari ullam *substantiam* materialem & corpoream, quæ ab *intrinseco* sit *effectiva*. At contra hos est ipsa experientia, qua videmus *substantias* corporeas non tantum *esse* sed etiam *operari*. Nam sicut *Deus* *substantiis spiritualibus*

R. P. A. Schnell, Phil. P. II.

sine absurdo contulit virtutem operandi, in ordine ad effectus *spirituales*; ita etiam sine absurdo conferre potuit *substantiis materialibus* virtutem operandi in ordine ad effectus *itidem* materiales. Itaque

**P**Rænot. 3. Nunc dictis non obesse, quod 378 è *subjecto* pure *materiali* non possit educi forma *substantialis spiritualis*: nam ex hoc non sequitur, quod ex illa non possit educi *forma materialis*: quia *hæc* in esse, fieri, conservari, & operari dependet à materia. Forma corporea itaque (etsi educatur è materia non operativa) est operativa, quoniam *esse principii operativi* non habet à materia principaliter, sed à causa efficiente & educente, quæ formaliter operativa est, & formam sibi assimilat. Et licet operari, efficere, actione *immanente* sit se movere ab *intrinseco* (quod convenit solis *viuentibus*) non tamen operari & efficere operatione *transiente*; secus ignis viveret &c. *Vid. P. Ruedorffer hic q. 4. a. 1. §. 1. n. 7.* Nunc ad *quæstia* sit

**CONCLUSIO I.** Causa efficiens bene 379 definitur: *Est principium extrinsecum per se, à quo primo incipit mutatio & quies.* Est communis ex *Arist. §. met. c. 2.*

Explicatur: Est *principium* (loco generis) *extrinsecum* (per quod differt à causis *intrinsecis*) *per se* (& sic secernitur à causis per accidens) à *quo primo incipit mutatio* (id est *productio rei*) & *quies* (id est *rei conservatio*) ergo.

**CONCLUSIO II.** Causa efficiens in 380 actu primo constituitur *radicaliter* per formam *substantialem*: *proxime* per virtutem seu *potentiam* accidentalem: in actu *secundo* autem per *ipsam* actionem. *Iterum communis.*

Prob. 1. pars: Forma est prima ratio & 381 principium *essendi*: ergo etiam operandi

Prob. 2. pars: Nulla substantia est *immediate* operativa ex *dicendis à. n. 392*. ergo mediante *potentia* &c.

Prob. 3. Vi *actionis* causa efficiens influit 383 actu in effectum, & denominatur actu *causans*: ergo.

**CONCLUSIO III.** Causa efficiens di- 384 viditur 1. in causam *per se*, & in causam per *accidens*. 2. in *Physicam* & *moralem*. 3. in *principalem*, & in *instrumentalem*. 4. *Principalis* subdividitur in *primam* & *secundam*: in *universalem*, & *particularem*: in *univocam* & *æquivocam*: in *necessariam*, & *liberam*: in *totalem* & *partialem*. *Rursum omnes.*

Explicatur, si attente leguntur *divisionis termini*: quos insuper amplius explicat noster *P. Renz l. 2. phys. q. 5. a. 2.*

Objicies 1. cont. 1. concl. Data defini- 385 tio non convenit *omni*: ergo. a. p. Non convenit causæ *secunda*; quia hæc non agit nisi ut *mota a prima*: ergo non est id, à quo incipit motus

- motus primo (: *ex. d. c.* si fiat comparatio ad causam primam c. si ad causas creatas n. :) 386
- 386 Ob. 2. urg. Saltem non convenit soli: ergo. a. p. Convenit quoque causæ finali; nam ab hac motus & mutatio primo incipit (: *intensive* c. *executive* n. :) ergo. Deinde: etiam natura est id, à quo motus primo incipit (: *intrinsece* c. *extrinsece* n. :) ergo.
- 387 Ob. 3. cont. 2. concl. part. 1. Forma habet nobiliorem modum *essendi* quam accidens: ergo quoque nobiliorem modum *operandi*; consequenter operatur immediate (: n. sup. quòd *immediate* operari sit nobilius; quia tantum est operari *instrumentaliter*. Sicut ergo nulla substantia creata existit per suam *essentiam*, sic nec per *hanc* ulla immediate operatur:) Deinde: forma est immediate informativa materiæ; ergo etiam est immediate operativa (: n. c. Quia *operari* est effectus substantiæ extraneus & *accidentalis* :)
- 388 Ob. 4. cont. 3. part. Actio est *extrinseca* agenti: ergo illa non potest constituere in actu secundo (: quoad *essentiam* c. quoad *operationem* physicam n. :)
- 389 Ob. 5. Actio est *effectus* causæ efficientis (: ut quod n. ut *quo* c. :) ergo non potest esse ejus causalitas. Præsertim: quia per actionem non mutatur (: *intrinsece* c. *extrinsece* n. :) ergo.
- 390 Ob. 6. Cessante actione causa adhuc est in actu secundo (: tantum *denominative* de præterito c. *exercite* & de *presenti* n. :) ergo. a. p. Cessante actione generativa pater adhuc est causa filii: ergo. Vid. P. Renz *hic* a. 3.

## ARTICULUS II.

*Utrum substantia creata sit, vel esse possit immediate operativa?*

- 391 PRænotandum: Cùm forma *substantialis* sit virtus *radicalis* tantum, juxta mox dicta; nunc quæri, utrum nunquam sit aut esse possit *immediate* operativa? Et si non: quomodo *accidens* producat tum substantiam, tum accidens.
- 392 CONCLUSIO: Nulla substantia creata potest esse *immediate* operativa: adeoque principium *immediate* operandi est *accidens*; ita ut respectu *substantiæ* producendæ sit virtus *instrumentalis*; respectu alterius accidentis autem sit causa principalis. *Est characteristica T.T. ex S. Th. 1. p. q. 77. a. 1. ad 4. & c. contra Scot. & RR.*
- 393 Prob. 1. pars: Substantia non potest *immediate* respicere operationem, nec ab ea *specificari* (quia operatio est *accidens*, utpote quid *secundarium* & ens in alio: *substantia* autem est ens in- & ad se) ergo non est *immediate* operativa: quemadmodum oculus, quia *immediate* non respicit sonorum, non est *auditivus*. Præcipue: quia sæpe generatur substantia, quando nulla adest substantia, ut dum ex influxu solis *absentis* in montibus producit aurum, aut ex semine patris mortui filius &c. ergo. Secus enim substantia in linea *operandi* foret *infinita*: sicut infinita esset in linea *essendi*, si sibi identificaret *existentiam*.
- 394 Prob. 2. pars: Principium *immediatum* operandi non est substantia: ergo accidens. Et quidem respectu *substantiæ* est principium & virtus *instrumentalis* tantum (quia agit ad effectum se excedentem) respectu alterius *accidentis* autem est causa principalis: quia sic agit ad effectum sibi *proportionatum* quem formaliter vel virtualiter in se continet; ergo.
- 395 Objicies 1. cont. 1. part. Substantia sc. forma *substantialis* est *immediatum* principium *essendi*: ergo etiam *operandi*. c. p. Modus operandi modum *essendi* sequitur (: *ex. d.* *immediate* n. *mediate* principio *accidentali* c. :) ergo. Deinde: unum *accidens* *immediate* potest producere *aliud* accidens: ergo etiam una *substantia* aliam (: n. c. Quia substantia, eo ipso quod sit substantia & ad se, non potest respicere & ordinari ad aliquid *extra se*, & ab illo *specificari*; qualiter tamen contingeret, si *immediate* operaretur:) c. p. Una est alteri maxime *proportionata* (: in ratione principii *proximi* n. *remoti* c. :) 396
- 397 Ob. 2. Substantia potest *specificari* ab *accidente*: ergo. a. p. *Accidens* potest *specificari* à substantia: ergo vicissim *substantia* ab *accidente* (: n. c. Nam *accidens* ex sua natura ordinatur ad *aliud*; & consequenter potest ac debet ab illo *specificari*, sive deinde sit *accidens* sive *substantia*: e contra quia *substantia* est propter se, non potest ab aliquo *extra* suam lineam *specificari* :) a. p. *Habitus* ab objecto, & *relatio* *specificatur* à *termino*, qui sæpe est substantia; ergo.
- 398 Instabis: Substantia *immediate* recipit *accidentia*, etsi sibi extranea; ergo etiam *immediate* elicit *operationem*, etsi *hac* sit *accidens*, substantiæ extraneum (: n. c. Quippe *substantia* à *receptione* *accidentium* non *specificatur*; cum illa receptio sit eidem tantummodo quid *secundarium*: e contra ab *operatione* *specificari* deberet; quia si esset *immediate* operativa, *operationem* *immediate* respiceret :) 399
- 399 Ob. 3. Amor Dei & amor proximi procedunt ab eodem principio & habitu *charitatis*; quia sunt actus *subordinati*: ergo etiam *esse* & *operari* proveniunt ab eadem substantia (: n. c. Quia *esse* & *operari* non sunt in eadem *linea*, quemadmodum sunt amor Dei & proximi, cum habeant eandem rationem formalem *sub qua*, ex tr. de *Virt. theol.* n. 856. :) 400
- 400 Ob. 4. Quòd substantia non sit *immediate* operativa non provenit ex ejus *imperfectio-* ne;



ne; quia accidens est imperfectius substantiâ, & tamen est immediate operativum: nec ex perfectione; quia Deus est perfectior, qui tamen immediate operatur: ergo est immediate operativa (: n. c. Nam id provenit ex perfectione mixta imperfectioni; cum non sit tam perfecta ut Deus, qui sibi identificat suam operationem: nec tam imperfecta sicut accidens, ut ab aliquo extra se specificari queat. Hinc substantia dat, quod est præcipuum vid. immediate existere: minores verò perfectiones relinquit accidentibus; quemadmodum Rex functiones minus nobiles relinquit suis Aulicis:)

401 Urgebis: Deus, utique posset absque accidentibus creare substantiam tam perfectam quam defacto sit cum accidentibus: atqui talis substantia esset immediate operativa; ergo saltem Divinitus aliqua substantia esset immediate operativa. M. p. Illa substantia cum suis potentiis & accidentibus est solummodo quid finite perfectum: ergo Deus sine illis potest creare aliquid æque perfectum imo magis (: n. c. & retorqueo: homo cum anima rationali est quid finite perfectum; ergo Deus potest creare hominem æque vel magis perfectum sine anima rationali: Item intellectus beati cum lumine gloriæ est quid finitum; ergo Deus potest creare substantiam, quæ videat Deum sine lumine gloriæ. Vel

402 d. c. ergo Deus potest creare aliquid æque ac magis perfectum intra eandem lineam c. extra illam n. Si autem Deus crearet substantiam sine accidentibus immediate operativam, esset substantia, ut supponitur: & non esset substantia, quia specificaretur ab accidente sc. ab operatione, quam immediate respiceret:)

403 Ob. 5. Natura est immediate operativa, quia specificatur, & definitur per operationem (: primario n. solum secundario c. Etenim definitur præcise tanquam principium radicale; nam primario definiri deberet per existentiam, sicut substantia: ) atqui natura est substantia; ergo (: n. c. Si enim substantia posset specificari ab aliquo extrinseco, tunc possibilis esset substantia creata supernaturalis, contra dicenda in tr. de Deo à n. 279. :)

404 Ob. 6. Angelus intelligit seipsum per suammet substantiam tanquam speciem impressam: ergo substantia Angeli est immediate operativa (: objective & in esse intelligibili c. entitative & in esse physico, de quo tantummodo est quæstio, n. : ) c. p. Species impressa ad intellectionem concurrat immediate (: n. aliter: si sit accidens c. si species sit substantia n. Tunc enim species, seu potius substantia, supplens speciem, tantum influit remotè & radicaliter; quia sic non subordinatur potentiæ proximæ, ex tr. de Ang. à n. 151. :)

406 Ob. 7. cont. 2. part. Accidens non præcontinet in se substantiam (: formaliter & eminenter c. instrumentaliter & virtualiter n. quia est virtus

substantiæ: ) ergo. a. p. Imperfectius non præcontinet perfectius; ergo accidens non potest immediate producere substantiam.

Ob. 8. urg. Accidens neque instrumentaliter præcontinet substantiam; ergo. a. p. Aliàs à substantia deberet elevari (: elevatione naturali, quæ est ipsa subordinatio ad substantiam, c. elevatione actuali & artificiali n. : ) quia omne instrumentum (: ut quod c. ut quo subd. naturaliter c. actualiter n. : ) debet elevari à substantia: atqui substantia ita elevando accidens & motionem imprimendo, utique immediate operatur; ergo.

Ob. 9. inst. Substantia, dum accidens elevat, utique eidem aliquid superaddit (: distinctum realiter n. aliquid distinctum virtualiter c. hoc autem est specialis vigor & virtuositas: sic calor homini conjunctus habet virtutem specialem producendi carnem, quam non habet in igne: ) ergo substantia immediate operatur. a. p. Accidens agit in virtute substantiæ (: intransitive, ut sit ipsa virtus, c. transitive n. Sic quando dicitur, quod materia prima sit in potentia subjecliva, sensus est, quod sit ipsa potentia: ) ergo.

Infers: Ergo accidens producit substantiam virtute propria (: id est, à se indistincta c. id est, non subordinata substantiæ tanquam principio radicali n. : ) quia sibi identificatâ; ergo erit causa principalis (: nisi virtus illa esset subordinata, & ad effectum se excedentem c. secus n. : )

Ob. ult. Si accidentia producerent substantiam, tunc illam producerent tam ea quæ sunt in agente quam quæ sunt in passivo: atqui accidentia, quæ sunt in passivo non producant substantiam; ergo. m. p. Calor v. g. qui est in ligno, non est calor ignis (: id est, non subjeclatur in igne c. id est, non agit in virtute ignis n. : ) Item, quia se tantum habet dispositive (: respectu illius partis in qua est c. respectu alterius partis sibi vicinæ n. : ) ad formam; ergo.

Replicas: Omnis substantia immediate emanat suas proprietates (: per actionem quamdam metaphysicam seu per resultantiam c. per actionem vere physicam subd. realiter eandem cum illa qua producta fuit substantia c. per distinctam n. De quibus mox plura: ) ergo immediate operatur.

### ARTICULUS III.

An emanatio proprietatum sit vera actio seu operatio substantiæ?

CONCLUSIO: Emanatio proprietatum comparative ad substantiam seu essentiam non est rigorosa actio sed simplex resultantia: quamvis comparative ad ipsum generans productivum substantiæ sit actio proprie dicta, ad proprietates tanquam ad terminum secundarium terminata. Ita TT. omnes.

- 413 Prob. 1. pars: Quia aliàs essentia ageret in seipsam; quod implicat: ergo. Deinde: essentia secundum se non habet potentiam proximam operandi, ex dictis: ergo nec habere potest veram actionem.
- 414 Prob. 2. Qui date esse, dat quoque consequentia ad esse: atqui generans dat essentiam per veram actionem; ergo etiam proprietates ad illam consequentes: generans enim non intendit ponere essentiam quomocunque, sed in esse completo & suis accidentibus ornatam.
- 415 Obiicies 1. Essentia per se influit esse in proprietates (: r. d. per actionem à se elicitam n. per actionem tantum delativam, seu ratione sui ulterius progredientem c. Sic primus annulus catenæ defert motum ad alios annulos propter connexionem: ) ergo habet rationem causæ; consequenter producit illas per veram actionem.
- 416 Ob. 2. inst. Taliter essentia erit otiosa (: si non deferret actionem generantis c. secus n. : ) ergo. S. p. Materia prima respectu formæ educendæ est plane otiosa; ergo etiam essentia respectu suarum proprietatum (: n. c. Quia essentia est ens in actu: non verò materia : )
- 417 Ob. 3. Quando aqua calefacta frigeat, tunc active producit illud frigus (: per veram actionem n. per emanationem & simplicem resultantiam c. : ) ergo. a. p. Productio illa frigoris non potest adscribi generanti; quia hoc sæpe non est præsens (: formaliter & in se c. virtualiter & in suo effectu, cum tali natura producto, n. : ) ergo adscribi debet ipsi aquæ.
- 418 Ob. 4. urgendo: Reductio illa est verus motus physicus, saltem respectu caloris expellendi; ergo debet habere sui causam (: per se n. causam per accidens, nempe absentiam conservantis ex una parte, & ex altera essentiam aquæ, calori positive resistentem, c. : ) Vid. P. Renz hic a. 5.

## ARTICULUS IV.

### De causa instrumentali?

- 419 Prænot. 1. Ad causam efficientem quoque pertinere causam instrumentalem. Dividitur in instrumentum ut quo (estque accidens seu virtus substantiæ superaddita) & ut quod; estque integrum aliquod compositum, ut calamus &c. Rursus hoc instrumentum ut quod dividitur in conjunctum (quod non agit nisi actu moveatur à causa principali, actualiter præsentem, ut manus, calamus &c.) & separatum; quod in absentia causæ principalis operatur effectum, ut semen &c. Quod si causa principalis sit naturalis, instrumentum dicitur naturale: si supernaturalis, supernaturale; si artificialis vocatur artificiale.
- 420 Prænot. 2. De causa instrumentali hoc loco tria quæri, quæ resolventur per tres con-

clusiones sequentes. Ubi etsi quæstio præcipua sit de instrumentis ut quod (nam instrumenta ut quo, cum sint ipsa virtus ac vigor agendi instrumentaliter, non indigent virtute superaddita) & quidem naturalibus duntaxat; attamen etiam ad artificialia & supernaturalia instrumenta extendi potest. His prænotatis, notanda est

CONCLUSIO I. Causa instrumentalis 421 essentialiter consistit in hoc, quod agat in virtute alterius, seu ut mota & elevata à causa principali. Ita TT. ex S. D. 3. p. q. 62. a. 1. in c. &c.

Probatur: Causa instrumentalis per hoc, quod agat in virtute alterius, à causa principali distinguitur: ergo quoque per illud constituitur &c.

CONCLUSIO II. Causa instrumentalis, 422 ut agat, debet recipere aliquam virtutem seu motionem à causa principali in se derivatam; adeoque non sufficit sola assistentia extrinseca. Iterum communis TT. contra RR.

Probatur: Causa instrumentalis secundum se est intrinsece impotens ad producendum effectum (secus enim non foret causa instrumentalis, sed principalis) ergo debet reddi potens per aliquid intrinsecum: consequenter non sufficit sola assistentia extrinseca causæ principalis; quia aliàs omnis creatura (utpote quæ semper agit cum concursu causæ primæ) esset tantum causa instrumentalis: quod tamen falsum est; cum non omnes creaturæ agant ad effectum se excedentem: ergo.

CONCLUSIO III. Omne instrumentum 423 præter dictam motionem virtuosam debet insuper habere aliquam virtutem & actionem præviã, vel aliquid ad modum actionis præviæ, ratione cuius inservire possit causæ principali. Rursum communis TT.

Probatur: Omne instrumentum debet præsupponi ut agens saltem in actu primo: ergo debet habere propriam virtutem & actionem præviã; aliàs scriberemus malleo æque ac calamo.

Obiicies 1. cont. 1. concl. Causæ creatæ 424 omnes non agunt nisi ut motæ à Deo (r. d. ita ut motio sit tota virtus & ratio agendi n. ut sit tantum applicatio c. Vel: agunt ut motæ ad effectum se excedentem semper n. sibi proportionatum c. : ) atqui non omnes causæ creatæ sunt instrumentales; ergo.

Ob. 2. cont. 2. concl. Instrumentum cum 425 illa virtute superaddita foret causa proportionata effectui: ergo esset causa principalis (: si illa virtus ei primò deberetur c. si solum derivetur ab alio n. : )

Ob. 3. cont. 3. concl. Omnis instrumenti 426 actio provenit à causa principali (: tanquam à conferente n. tanquam ab applicante c. : ) ergo nullam habet. a. p. Ab artifice non tantum scissio artificiosa sed etiam simplex provenit (: ita tamen

tamen ut in executione subordinetur causæ principali c. secus n. :) ergo. Vid. P. Renz hic q. 5. a. 3. Item tr. 1. de Sacr. à n. 149.

427 Quæres 1. An creatura aliqua à Deo ad creandum assumi possit ut instrumentum physicum? R. Negative: quia talis actio esset creativa (ut supponitur) & non esset creativa; cum omnis actio creaturæ ex natura sua & essentialiter sit *accidentalis*, requirens aliquod subjectum, in quo recipiatur, & quod immutet: ergo. Præcipue: quia distantia inter *nihilum* & *ens* est infinita (quoniam *nihilum* simpliciter est exclusivum totius entis, etiam infiniti) ergo *virtus* productiva ex *nihilo* simpliciter quoque debet esse infinita; cujus tamen creatura est incapax. Vid. P. Renz hic a. 3.

428 Quæres 2. Utrum in rebus creatis detur potentia obedientialis, quæ sit *immediate activa* & productiva quorumcunque effectuum? R. Quod non: quia talis potentia obedientialis immediate activa poneret actum secundum, non præsupposito actu primo; quod implicat. Itaque Deus per solam assistentiam *extrinsecam* non potest facere, ut aqua producat ignem, nisi aqua se modo mortuo & solummodo per modum medii, virtutem deferentis, habeat: debet igitur virtus superaddi, ut agat.

429 Oppones: Datur potentia obedientialis *immediate passiva*, qua Deus crearuris imprimit formas quascunque supernaturales *sine* præviâ aliqua *virtute* passiva supernaturali: ergo etiam datur *immediate activa* (: R. n. c. Quia plus requiritur ad agendum quam ad *patiendum*; nam hoc dicit meram non-repugnantiam. Videatur citatus P. Renz l. 2. *phys.* q. 5. a. 5. Item Theol. nost. Part. 1. à n. 356.

## QUÆSTIO II. DE CAUSA FINALI.

### ARTICULUS I.

Num finis sit vera causa realis, & physica?

430 Prænotandum: Causam finalem seu finem recte ex S. D. 2. *phys. lect.* 5. definiri, esse *id cuius gratia aliquid fit*. Dividitur in finem *cujus* & finem *cui*. in finem *qui*, & finem *quo*: in finem *operis* & in finem *operantis*: in finem *primarium* & *secundarium*: in *ultimum* & *intermedium*; in *naturalem* & *supernaturalem* & c. quarum divisionum explicatio colligi potest ex terminis.

431 CONCLUSIO: Finis est vera, realis, & physica causa, prout *physica* opponitur morali. Ita Arist. hic, & S. Th. op. 31.

Probat: Quia effectus vere, realiter, ac physice dependet à fine, sicut ab alia quacunque causa; ita enim fit propter finem, ut eo cessante non fieret: ergo. Deinde: finis est causa effectuum vere realium & physicorum, puta electionis, & usus mediorum, amoris, desiderii, complacentiæ: ergo quoque est causa vere realis & physica: Maxime: quia est causa, quod aliæ causæ suas causalitates exercent: ergo.

Obicies 1. Omnis causa est principium: at qui finis (: R. d. m. in executione c. in intentione n. :) non est principium; ergo.

Ob. 2. Finis, dum causat, sæpe non existit (: actualiter c. possibiliter n. Hoc autem sufficit, quia influit objective & allicitive :) ergo non est causa realis.

Ob. 4. Causalitas finis sc. motio est tantum *metaphorica* (: absolute n. comparative ad motionem causæ efficientis c. Sic materia & forma adhuc sunt causæ reales & proprie tales, etsi motionem aliquam physicam non habeant :) ergo quoque est tantum metaphorice causa.

Ob. 3. Ob. 2. Finis, dum causat, sæpe non existit (: actualiter c. possibiliter n. Hoc autem sufficit, quia influit objective & allicitive :) ergo non est causa realis.

## ARTICULUS II.

Per quid finis constituitur in actu primo finalizandi?

Prænotandum: Apud omnes certum esse, quod finis non causet nisi movendo & alliciendo appetitum ad sui prosecutionem. Hic solum quæritur, quidnam sit illud, per quod finis fit potens ad taliter allicendum?

CONCLUSIO: Ratio formalis, per quam finis constituitur in actu primo finalizandi, est sola bonitas, vel vera, vel apparens: apprehensio autem est tantum conditio sine qua non. Ita communiter T. T. ex Arist. 5. *met. c. 2. tr. 3. & S. Th. q. 25. de verit. a. 1. ad 6. partim cont. Scot. partim cont. RR.*

Prob. 1. pars: Sola bonitas est appetibilis formaliter, utpote objectum adæquatum voluntatis; ergo. Sic quia verum est objectum adæquatum intellectus, non potest hic assentiri nisi vero, saltem apparenter tali.

Prob. 2. pars: Apprehensio seu cognitio boni non appetitur; sic agrotus non appetit apprehensionem sanitatis sed ipsam sanitatem: ergo apprehensio est duntaxat conditio. Præsertim; quia hæc non spectat ad lineam volitivam, sed cognoscitivam; ergo.

Obicies 1. cont. 1. part. Voluntas est potentia libera: ergo potest moveri à bono & malo (: R. d. c. quatenus malum repræsentatur ut bonum c. secus n. :) c. p. Omnis potentia fertur in opposita (: eodem modo n. unum prosequendo, alterum fugiendo c. :) ergo.

Ob. 2. Voluntas potest ferri in malum qua tale; ergo. a. p. Dammati appetunt non esse (: ut est terminativum miseriæ c. ut est destructivum naturæ n. :) & diabolus peccatum (: præcise ut est injuria Dei n. ut simul est aliqua vindicta c. :) ergo.

441 Ob. 3. cont. 2. part. Apprehensio diversitatem specificam causat (: formaliter tanquam id, ad quod perferminatur actus, n. per modum conditionis & applicationis c. :) ergo est ratio formalis, a. constat; quia inhonestas, apprehensa ut honestas, causat actum honestum; & vicissim, c. p. Ablata sola cognitione bonitatis, cessat tota virtus & ratio movendi (: ex defectu alicujus requisiti intrinseci n. extrinseci c. :) ergo.

442 Ob. 4. Potest quis appetere montes aureos, aut venationem hircocervi: atqui in his nulla est bonitas (: vera c. apparens n. :) ergo.

443 Replicas: Bonitas apparens non habetur nisi ab apprehensione (: tanquam ab applicante c. tanquam à ratione formali n. :) ergo.

444 Ob. 5. Color & lux pertinent ad eandem rationem formalem respectu potentiae visiva: ergo etiam bonitas & apprehensio ad eandem rationem finis (: n. c. Quia bonitas & apprehensio pertinent ad diversas lineas; non item color & lux :) )

### ARTICULUS III.

Per quid finis constituatur in actu secundo?

445 PRÆNOT. 1. Aliquos putare causalitatem finis esse ipsam ostensionem bonitatis propriae. Verum hi non satisfaciunt: quia finis saepe ostendit suam bonitatem, nec tamen movet. Alii igitur requirunt insuper motionem quamdam à fine voluntati impressam: at isti nimium volunt; quia finis sic fieret causa efficiens. Hinc

447 PRÆNOT. 2. Multos docere, causalitatem finis esse ipsam actionem agentis, sub alia tamen formalitate, quatenus nempe fit propter finem. Sed etiam isti non tangunt scopum: nam ubi sunt causae formaliter & realiter distinctae (quales sunt efficiens & finalis) ibi quoque debent esse causalitates distinctae realiter. Itaque praeligenda videtur nostra

448 CONCLUSIO: Causa finalis constituatur in actu secundo per motionem & excitationem voluntatis, ut finem appetat: quae excitatio tamen non fit per entitatem realem voluntati impressam sed per quandam sympathiam, quam habet voluntas cum bonitate proposita & sibi conveniente. Ita T. T. communius ex S. D. q. 22. de verit. a. 2.

449 Prob. utraque pars: Per illam motionem seu amorem simplicem & sympatheticum voluntas primo & affectivè movetur; per amorem actualem verò tantum effective: ergo. c. p. Causalitas & motio finis non tantum in actu primo sed etiam in actu secundo est praecise alliativa, objectiva, & affectiva; alioquin non amplius distingueretur à causalitate causae efficientis: ergo.

Obijcies 1. Voluntas, ut agat, à fine movetur (: R. d. a. affective & objective c. effective & subjective n. :) ergo ei aliquid reale, saltem intentionale, imprimitur. c. p. Intellectui, ut cognoscat, imprimitur aliquid intentionale: ergo & voluntati (: n. c. Quia intellectus trahit ad se objectum; voluntas autem trahitur: sic ferrum à magnete trahitur per naturalem propensionem :) )

Ob. 2. Voluntas per actum amoris actu movetur in finem (: effective c. affective n. Nam ille amor simplex est prior amore actuali: sicut prius est lapidem inclinari in centrum, quam in illud actu tendere :) ergo actualis amor est causalitas.

Ob. 3. Posito actu amoris circa finem, causa finalis actu causat (: ita ut ille amor sit ratio formalis causandi n. ut sit effectus tantum c. Sic posita actione unitiva & cæteris requisitis, materia ac forma actu causant, nec tamen actio est illarum causalitas :) ergo.

Ob. 4. Finis constituitur in actu primo per posse appeti (: appetitu elicitio n. quasi-innato & per sympathiam habito c. :) ergo in actu secundo constituitur per appeti actualiter (: appetitu innato tamen c. elicitio n. :) )

Ob. 5. Licet actio sit effectus causae efficientis, nihilominus est ejus causalitas: ergo etiam licet amor actualis sit effectus finis, tamen poterit esse ejus causalitas (: n. c. Quippe actio est effectus ut quo tantum: at amor actualis est effectus ut quod :) )

Ob. 6. Potest dari dicta motio & excitatio sympathetica, quin detur aliquis effectus vel actus amoris (: semper efficax c. vel efficax vel inefficax n. Quòd si nullum eliciat, voluntas nunquam fuit mota :) ergo motio illa non est causalitas finis in actu secundo c. p. Non potest dari causalitas seu causa in actu secundo, quin detur effectus; ergo.

Quæres 1. Quis sit effectus finis? R. Omnes actus, qui fiunt propter finem, sive deinde sint elicitii sive imperati. Ratio est: quia omnes ita dependent à fine, ut si finis non esset, nec moveret voluntatem, non elicerentur, adeoque nec haberent esse? ergo. Porro actus elicitii sunt, qui procedunt ab ipsa voluntate, suntque sex, quorum tres versantur circa ipsum finem, sc. amor seu simplex volitio, intentio, fruitio: & tres circa media, sc. consensus, electio, & usus. Imperati sunt, qui ab aliis potentiis, voluntatis imperio subiectis, ex ejus motione procedunt. De quibus plura recurrent in Theologia tr. de Act. hum. à n. 323.

Quæres 2. Quænam agant propter finem? R. Omnia agentia: quia nisi propter finem agerent, nihil agerent; ergo. Interim propriissime agunt sola agentia intellectualia; hæc enim cognoscunt finem & media. At de fine jam sit

fit finis! Nunc ut etiam quid dicatur de causis per accidens,

458 Quæres 3. Quot sint causæ per accidens?  
 R. Duæ nempe *fortuna & casus*: quibus opponitur *fatum*: & à quibus producitur *monstrum*. Jam *fortuna* definitur: est causa per accidens eorum que raro fiunt ab agente per *ELECTIONEM*. *Calus* est causa per accidens eorum que raro fiunt ab agente *NATURALITER*: adeoque casus per se loquendo datur in agentibus sine electione; *fortuna* verò in agentibus cum electione. Huc spectat effatum Aristotelis l. 2. mag. moral. ubi multum intellectus, ibi parum fortunæ. *Fatum* est *inherens rebus mobilibus immobilis dispositio, secundum quam DEI providentia suis quæque necit ordinibus*, ut ait Boëtius l. 4. de consol. Phil. *Monstrum* denique est *effectus naturalis, à solita secundum speciem dispositione degenerans*: Permittit autem Deus monstra fieri, quia se interdum, tanquam author naturæ, accomodat dispositioni & exigentiæ causarum creatarum, in suis operationibus sæpe defectibilium. Nec deformitatem inducunt Universo sed potius elegantiam & rerum varietatem, eo fere modo quo tenebræ lucem, & umbræ picturam commendant. Vid. P. Renz q. 7. a. 1. 2. & 3.

tur motus: nec late, quo modo sub motu comprehenduntur omnes mutationes etiam instantaneæ: sed *stricte*, pro motu successivo. Hunc definit nostra

CONCLUSIO: Motus est actus entis 462 in potentia prout in potentia. Ita communis ex Arist. l. 3. phys. c. 2. & S. Th. 1. p. q. 9. a. 1.

Explicatur: Sensus est, quod motus sit ipsa ratio formalis, per quam mobile *formaliter & actu* tendit ad formam & actum perfectum: adeoque motus est tantum illud, quo terminus acquiritur.

Objicies 1. Motus non est perfectio 463 (: R. d. simpliciter talis c. secundum quid, quatenus est actio, n. :) quia subjectum constituit in potentia solum: ergo non est actus.

Ob. 2. Motus est accidens: ergo est actus 464 entis in actu (: quod ens sit in actu *substantiali* c. in actu *illius* formæ accidentalis, ad quam per motum tendit, n.) & non in potentia c. p. Omne *accidens* est actu entis in actu; ergo.

Ob. 3. urg. Nullus actus relinquit subje- 465 ctum in potentia (: in ordine ad se c. in ordine ad alium actum n. :) ergo. a. p. Actus tollit potentiam: ergo.

Ob. 4. Forma substantialis est actus en- 466 tis in potentia (: ita ut sit ipse fluxus & actualis via ad terminum n. secus c. :) nempe materiæ primæ; & tamen non est motus: ergo hic non est actus entis in potentia.

Ob. 5. inst. Embrio & calor remissus sunt 467 forme viales (: & simul terminus intermedius c. pura via n. :) requirentes subjectum in potentia ad ulteriorem actum: atqui hi non sunt motus; ergo.

Deduces: Omnem motum proprie talem 468 debere esse *successivum* (quia est actus subjecti tendentis ad *ulteriorem* perfectionem) & *continuum*: quia si ponatur actus in subjecto sine continuatione, tunc subjectum illud non tendit ad *ulteriorem* perfectionem; ergo.

## ARTICULUS II.

An & quomodo motus distinguatur à termino ad quem?

Prænotandum: Quætionem potissimam 469 hic esse de termino ad quem intrinseco immediato; an v. g. motus calefactionis distinguatur à calore?

CONCLUSIO: Motus realiter distingui- 470 tur à suo termino ad quem. Ita communis TT.

Prob. 1. Motus & terminus ad quem im- 471 mediatas realiter separantur: ergo realiter distinguitur. a. p. Manente termino ad quem v. g. calore, perit motus calefactionis; & quidem non tantum quoad obliquum (velut re-

\*\*\*\*\*

# TRACTATUS III.

## IN LIBRUM III. ET V. PHYSICORUM.

### DISPUTATIO I.

#### DE MOTU CORPORIS NATURALIS.

Per totum librum tertium Philosophus discurret de motu corporis naturalis ceu proprietate ejus primaria. Insequemur hunc, præcisa omni mora, in præsentis Disputatione per Quæstiones duas. Et quia materiæ huic affinis est illa, quam Aristoteles pertractat in libro quinto, ideo eam in præsentis Tractatu adjungemus eidem in Disputatione altera.

### QUÆSTIO I.

#### DE QUIDDITATE ET DISTINCTIONE MOTUS AB ACTIONE ET PASSIONE &c.

#### ARTICULUS I.

Quid sit motus?

461 Prænotandum: Hoc loco motum non sumi larissime pro omni mutatione qualiter etiam intellectiones & sensationes dicun-

- 472 spondent aa.) sed etiam quoad *rectum*: quia perit *fluxus* & *successio*, quæ in definitione motus involvuntur in *recto*; ergo.
- 473 Prob. 2. *Actio* utique realiter distinguitur à *termino*; quia *causa* & *effectus* necessario distinguuntur: ergo etiam *motus* realiter à *termino* distinguitur; quia *identificatur* cum *actione*,
- 474 ex dicendis n. 481. Deinde: *via* & *terminus* necessario distinguuntur; alioquin *motus* posset esse *terminus* motus, contra S. D. 5. *phys. lect. 1.* & *idem* foret *tendentia* ad *seipsum*: atqui *motus* est *via* ad *terminum*; ergo.
- 475 Objicies 1. Philosophus in 3. *ph. tex. 4.* docet: *motum non esse aliquid* præter eas res, ad quas est *motus*; ergo *motus* realiter est *idem* cum suo *termino* (: *n. c.* & *c.* Aristoteles enim tantum vult, quod *motus* *reducatur* ad illud prædicamentum, ad quod spectat *terminus* :)
- 476 Ob. 2. *Definitio* *motus* *termino*, v. g. *calori*, convenit (: per se primò & ex *propria* *ratione* n. per *accidens* & *ratione alterius*, vid. *ratione* *motus* *adjuncti*, sub quo *calor* est, c. Sic *substantiæ* *albæ* convenit esse *disgregativam* *visus* *ratione* *albedinis* *adjunctæ* :) quia est *actus* *entis* in *potentia*: ergo non distinguitur.
- 477 Ob. 3. *Calor perfectus* non distinguitur realiter à *seipso* ut *imperfecto*: ergo nec à *motu* (: n. c. Quia esse *imperfectum* accidit *calori*: econtra *motui* *id* est *essentiale*. Sic *dispositiones* *juveniles* realiter distinguuntur à *virilibus*. Imo si à *calore* ut *septem* fit *motus* ad *calorem* ut *octo* ceu *terminum*, hic habet *distinctum* *subjectum*, sc. *compositum novum*; ergo :)
- 478 Ob. 4. *Motus* à *termino* non distinguitur *genere* vel *specie*; quia in eodem *genere* & *specie* prædicamenti ponitur: nec *numero*; quia aliàs *duo* *accidentia* forent in eodem *subjecto*: ergo *realiter* non distinguitur (: n. c. Etenim *se totis* differunt sicut *materia* & *forma*; quia in nullo *genere* *univoce* conveniunt :)
- 479 Ob. 5. Si *motus* distinguitur à *termino*, tunc *subjectum* dupliciter mutatur (: *eodem modo* n. *diverso* c. Nam per *motum* mutatur *ut quo*, per *terminum* *ut quod* :) quia acquirit *duo*: atqui hoc est *absurdum*; ergo. Vid. P. Ruedorff. *part. 3. c. 3. q. 1. a. 2. n. 8.*

## ARTICULUS III.

*Utrum motus realiter distinguatur ab actione & passione? aut hæc inter se?*

- 480 **P**ranotandum: Præsens *dubium* non procedere de *actione immanente* (quæ ita *subjectatur* & *manet* intra suum *principium*, ut nihil extra illud producat aut perficiat; hæc enim, cum non sit *actus* *entis* in *potentia* ad *ulteriorem actum* sed ipsa sit *ultimus* suæ *potentiæ* *actus*, non potest esse *motus*;

de quo hic agitur) sed de *transcunte* ab agente in *passum*, qualis est v. g. *calefactio* &c.

CONCLUSIO: *Motus non distinguitur* 481 *realiter* ab *actione* & *passione*: nec *actio* & *passio* inter se; sed *ratione* duntaxat. Ita communior TT. ex S. D. in 3. *Phys. lect. 5. contra TT. Aguirre, Cavvinum &c.*

Prob. 1. pars: Quia habent eandem *definitionem*; nam *motus* nil aliud est, quam *actus* *egrediens* ab agente & *receptus* in *passo*: atqui *actus* *egrediens* ab agente est *actio* seu ut *ab hoc*; & *receptus* in *passo*, est *passio* seu *actus* ut *in hoc*; ergo habent eandem *definitionem*; consequenter *realiter* non distinguuntur.

Prob. 2. pars: *Actio* & *passio* sunt *idem* 482 *uni tertio* sc. *motui*: ergo etiam sunt *idem* *inter se*. Etsi *formaliter* distinguuntur; quia ob *diversas* *formalitates* etiam *diversis* *definitionibus* *definiri* queunt. Sic una eademque *effusio* tripliciter *considerari* potest à meo *intellectu*, nempe ut est *egressio* *vini* è *lagena*, ut est *receptio* ejus in *scypho*, & ut est *tendentia* à *lagena* ad *scyphum*.

Objicies 1. cont. 1. part. *Actio* & *passio* 484 sunt *entia* *completa*; *motus* autem est *ens incompletum* (: *n. d.* si *sumatur adæquate* *secundum* *rationem* *ab hoc* & *in hoc* n. si *sumatur inadæquate* *secundum* *solam* *rationem* *tendentia* & *fluxus* c. Sic *idem* *homo* est *ens completum*, si *sumatur adæquate* *secundum* *animalitatem* & *rationalitatem*; & *incompletum*, si *spectetur* *secundum* *solam* *animalitatem* :) ergo non est *idem* cum illis.

Ob. 2. cont. 2. part. *Actio* & *passio* *prædicamentis* differunt: ergo *realiter* differunt. c. p. Quæ *prædicamentis* differunt, *genere* differunt, consequenter etiam *specie*, & *numero* (: *reali* *semper* n. *logico* & *formali* c. Sic *substantia* & *relatio*, etsi *prædicamentis* differant, attamen non nisi *ratione* distinguuntur :)

Ob. 3. *Motus* realiter *separatur* saltem 486 à *passione*; quia *cessante* *motu* *calefactionis* *manet* *receptio* *caloris* (: *terminative*, id est, *manet* *terminus* *calefactionis* vid. *calor* c. *formaliter* n. :) in *aqua*; quæ *receptio* est *passio* (: *physica* n. *metaphorica* & à *calore* *indistincta* c. :) ergo *motus* saltem à *passione* distinguitur.

Ob. 4. Si *actio* & *passio* sunt *idem* *reali-* 487 *ter*, tunc *patiens* erit *agens*; quia *actio* est in *patiente* (: *secundum* *formalitatem* *ab hoc*, *secundum* *quam* duntaxat dat *denominationem* *agentis* n. *secundum* *formalitatem* *in hoc*, c. Sic eadem *anima* est in *crinibus* & *unguibus*, quæ est in *reliquo* *corpore* *hominis*; & tamen *illos* non *denominat* *racionales*, quia ibi non est *secundum* *formalitatem* *rationalitatis* :) ergo.

Ob. 5. Si *actio* & *passio* non distinguuntur, tunc *eadem* *entitas* erit *optima* & *peffima* 488 (: *sub* *eodem* *respectu* n. *sub* *diverso* c. :) item *idem*

idem inferret seipsum (: *physica* & secundum causalitatem *realem* n. *logice* & secundum subfistendi consequentiam c. :) *actio* enim infert passionem (: *q.* aliter: secundum id, quod dicit in *recto* n. quod connotat in obliquo, nempe *relationem* patientis ad agens, *cujus* passio est fundamentum c. :) atqui hæc sunt absurda; ergo.

## QUÆSTIO II.

### DE SUBJECTO ET UNITATE MOTUS.

#### ARTICULUS I.

*Utrum motus, actio, & passio sit in agente, vel in patiente seu mobili?*

489 **P**ranotandum: Certum esse, quod motus augmentationis & alterationis subiectentur in *mobili* (quia *termini* horum motuum sunt in mobili) uti & *actio immanens* in agente; quia non perficit nisi ipsum agens. De motu igitur *locali* tandemmodo & *actione* transeunte restat dubium, &

490 **CONCLUSIO I.** Omnis motus, etiam localis, est in mobili. *Ita communis TT.*

Probatur: Effectus formalis motus localis sc. ipsum *moveri* seu tendere ad locum est in *mobili*, & non in medio seu spatio (ipse enim *lapis* cadens deorsum *mouetur*, non spatium, per quod movetur) ergo etiam ipse *motus* localis est in mobili non tantum denominative, sed *inhæsi*ve; quemadmodum, quia effectus formalis albedinis est in muro, etiam forma & albedo est in muro.

491 **CONCLUSIO II.** Actio physica transiens *inhæsi*ve non est in agente sed in patiente. *Iterum communis TT ex S. D. 3. de an. c. 2. contra Scot. & TT. aliquos, Cavvinum nominatum &c.*

492 **Prob. 1.** Actio ibi est, ubi est *motus*, (cum sint idem) atqui motus est in mobili seu patiente; ergo. Deinde: Actio transiens est *perfectio ipsius moti* (uti in terminis loquitur *S. D. 1. p. q. 18. a. 3. ad 1.*) seu *passi*: ergo in passo recipitur. Præcipue: quia alioquin omne *agens qua tale* moveretur & *pateretur*; ergo.

493 **Prob. 2.** Aliàs nullum amplius discrimen esset inter actionem *transcurrentem*, & *immanentem*; quia utraque maneret in suo principio eliciente:

494 ergo. Nec sufficit, quod actio transiens producat effectum *extra se* in passo: Nam id etiam facit actio *formaliter immanens*, ut patet in actione creativa, aut Angeli, actione immanente lapidem sursum impellentis: ergo.

495 **Objicies 1.** cont. 1. concl. Juxta Philosophum *8. phys. tex. 59.* mobile per motum localem *non mutatur* intrinsece (: *q.* d. recipientem *R. P. A. Schnell, Phil. P. II.*

do aliquid per modum *termini* c. per modum *via* ad terminum n. :) ideoque est perfectissimus: ergo non est in mobili.

Ob. 2. cont. 2. concl. *S. D. 2. cont. gent. 496 c. 35.* ait: *actus* (: *substantialis* & *intrinsecus* c. *accidental* & *extrinsecus* n. :) est in eo, *cujus est actus*: atqui actio est actus *agentis* (: *substantialis* n. *accidental* c. Vel subd. est actus *agentis ut ab hoc* c. est actus *agentis ut in hoc* n. :) ergo actio est in agente (: ut *ab hoc*, denominative, vel quoad virtutem operandi c. *secus* n. *Textus alii* loquuntur de actionibus *immanentibus* :)

Ob. 3. *Actio* constituit agens (: per modum *egredientis* c. per modum *intrinsece* *perficientis* n. quia sic *non* amplius esset actio *transiens* :) cum agenti tribuat suum effectum formalem & denominationem *agentis* (: per modum *principii* à quo c. per modum *subiecti* in quo n. Sic rivus denominat fontem fluentem; nec tamen rivus est in fonte tanquam in suo subiecto: ergo actio est in agente.

Ob. 4. Actio reducit *potentiam intrinse-* 498 *cam* (: ad aliquid *intrinsecum* n. ad aliquid *extrinsecum* c. :) *agentis* ad agendum in actum (: *q.* aliter: *formaliter* c. *causaliter* & *applicative* n. hoc enim fit per *præmotionem*, *intrinsece* receptam ab agente :) ergo actio debet esse agenti *intrinseca* (: n. c. *Secus Petrus*, qui me ex sinistro facit dextrum, deberet mihi esse *intrinsecus*; cum ego ad dexteritatem habuerim *potentiam* & *indifferentiam intrinsecam* :)

*Instas: Eiusdem est actus* (: *emanative* vel *subjective* c. *semper subjective* n. :) *cujus* est *potentia*, ut loquitur *Aristoteles 1. de som. & vig.* atqui *potentia* operandi est in agente; ergo etiam actio est in agente (: *emanative* seu *originative* c. *subjective* n. :)

Ob. 5. Actio Petrum denominat (: *in-* 500 *trinsece* n. *extrinsece* c. :) *agentem*: ergo est in agente.

*Replicas*: Forma denominans aliquid *ex-* 501 *trinsece*, debet aliud denominare *intrinsece* (: *sub eadem* ratione n. *diversa* c. Sic *visio* denominat *oculum* videntem *intrinsece*, & *objectum* visum *extrinsece* :) atqui actio non potest denominare quid *intrinsece* quam agens; ergo.

*Dices*: visio denominat *oculum viden-* 502 *tem* *intrinsece*; ergo etiam actio denominat *agentem* *intrinsece* (: n. c. quia visio est *operatio immanens*; *actio* autem est *transiens* :)

*Reclamas*: Actio & passio est *una* forma: 503 ergo si denominat *intrinsece* *patientis ut passio*, denominabit etiam *intrinsece* *agens ut actio* (: n. c. Quoniam actio non connotat agens ut *subjectum in quo*; qualiter tamen *passio* *passum* connotat :)

Ob. 6. Actio ut *actio* est in alio: ergo il- 504 lud denominat *intrinsece*. a. p. Actio ut *actio* est

est accidens, quia essentialiter respicit *subjectum* (: egressionis & emanationis c. *subjectum inhaesionis*, de quo quaeritur, n. Sic relatio ut relatio & secundum esse *specificum* non dicit esse in sed tantum *ad*, adeoque non est *accidens* saltem *completum* : ) a. p. Actio est actus & forma aliqua accidentalis; ergo.

505 Ob. 7. Nullum accidens potest transire de *subjecto* (: *inhaesionis* c. emanationis n. : ) in aliud *subjectum* : atqui si actio reciperetur in passo, tunc actio transiret ab *uno subjecto* (: emanationis sc. ab agente c. *inhaesionis* n. Sic *motio* instrumentalis derivatur à movente, & intrinsece in instrumento recipitur : ) in aliud ; ergo.

506 Urgebis : Quod est *subjectum emanationis* (: alicujus accidentis, quo perficitur in ordine *ad se*, ut contingit in emanatione frigoris ab aqua, c. quo perficitur tantum in ordine *ad aliud*, sicut contingit per *actionem*, n. : ) est etiam *subjectum inhaesionis* ; sic eadem aqua emanat, & recipit frigus : ergo si actio transit è *subjecto emanationis* in *subjectum inhaesionis*, transit ab uno *subjecto inhaesionis* in aliud *inhaesionis* *subjectum*.

507 Ob. 8. Si actio est in *patiente*, tunc duo accidentia *solo numero* distincta erunt in eodem *subjecto*, e. g. duæ calefactiones in eadem parte ligni : atqui hoc non admittitur ; ergo. S. p. Tot sunt actiones, quot *principia* (: adæquata c. *inadequata* n. : ) atqui hic sunt duo *principia* vid. duo ignes ; ergo.

508 Ob. ult. *Relatio causæ ad affectum* est in ipsa causa seu agente : ergo etiam actio. c. p. Relatio & actio sunt *idem* : ergo si relatio est in agente, etiam ibi est actio. a. p. Relatio & *fundamentum* sunt *idem* : atqui *actio* est *fundamentum* (: sumpta *emittitive* n. sumpta *determinative*, quatenus per sui egressionem agens relinquit determinatum, ut respiciat hunc numero effectum c. Sic autem est in agente. *Vid. Log. n. 864.* : )

## ARTICULUS II.

Unde sumatur unitas & diversitas motuum tam generica, quam specifica, & numerica?

509 **P**raenot. 1. Motum distingui à reliquis *muationibus*, quod sit inter *duos terminos positivos* : qui inter se debent habere aliquam *contrarietatem*, & *latitudinem*, successive percurrendam. *Itaque*

510 **P**raenot. 2. Motum ad tria tantum *prædicamenta* dari per se, sc. ad *quantitatem* (& dicitur augmentatio) ad *qualitatem* (& est alteratio) ac ad *ubi* (& vocatur latio seu motus localis) quia hæc tria duntaxat habent *contrarietatem* & *latitudinem* pertransibilem.

CONCLUSIO I. Unitas & diversitas *generica* motuum desumitur ab unitate vel diversitate *prædicamenti*, ad quod per se terminatur motus. *Ita communis Philosophorum ex Arist. l. 5. phys. tex. 31. & S. D. ibidem.*

Probatur : Motus essentialiter ordinatur ad terminum *ad quem* (cum sit tendentia & via ad ipsum) ergo *ab hoc* habet suam unitatem vel diversitatem : & consequenter erit *genere* unus vel diversus, quando termini *ad quem* sunt genere diversi ; quod fit quando sunt in eodem vel diverso *prædicamento* ; ergo.

CONCLUSIO II. Unitas & diversitas *specificata* motuum sumitur à termino *ad quem*, formaliter spectato. *Ita rursus omnes ex Arist. l. 5. phys. c. 4. & S. Th. ibi.*

Probatur : Motus per se & essentialiter ordinatur ad terminum *ad quem* : ergo & ab illo accipit *esse* ac specificatur extrinsece saltem ; sicut habitus & potentia specificantur ab actibus & objectis : consequenter ubi terminus *ad quem* *formalis* est unus vel diversus *specie*, ibi quoque motus erit *specie* unus vel diversus.

CONCLUSIO III. Unitas motuum *numerica* desumitur ex unitate *mobilis*, *temporis*, & *termini* *ad quem* ; è quibus si unum desit, non erit *idem numero* motus. *Iterum communis ex Arist. hic t. 33. & S. D. lect. 7. & 8.*

Probatur : Inprimis requiritur unitas *mobilis* seu *subjecti* ; quia motus est *accidens*, quod individuatur à *subjecto* : deinde unitas *temporis* ; quia motus, ut sit unus debet esse *continuus* : denique etiam unitas *termini* ; quia *idem* motus nequit suum *subjectum* deferre ad *plures terminos* disparatos ; sicut una eademque via nequit simul ducere ad orientem & occidentem : ergo &c. nam *malum* (ut est distinctio) est ex quolibet *defectu*.

Objicies 1. cont. 1. concl. Una substantia *est altera nobilior & perfectior* (: & d. a. perfectione *divisibili* & successive acquirenda, quod tamen ad motum, utpote successive, essentialiter requiritur, n. perfectione *indivisibili* c. : ) sicut una *qualitas* est altera perfectior : ergo etiam ad *substantiam* datur motus ; consequenter dantur plures, quam tres genere distincti motus.

Ob. 2. cont. 2. concl. Si unus *ascendat* ad *medium montis*, & alter *ad idem* descendat, habent distinctos *specie* motus ; & tamen habent *eundem* terminum *ad quem* (: materialiter c. *eundem* *formaliter* n. quia *ascensus* montis respicit *medium* ut locum *superiorem*, *descensus* autem ut *inferiorem* : ) ergo *specificata* non desumitur à termino *ad quem*.

Infers : Ergo diversitas *formalis* habetur etiam à termino *à quo* (: connotative & *presuppositivè* c. *formaliter* n. Secus motus à nigro in album æque deberet dici *denigratio* ac *dealbatio* : )

Ob. 3.



517 Ob. 3. Ex hac sententia sequitur, motum naturalem ignis v. g. & violentum lapidis esse ejusdem speciei, si tendant ad eundem locum: atqui hoc non est; ergo. m. p. Ratio naturalis & violenti specie differunt: ergo quoque sic differunt motus naturalis & violentus (: n. c. Quia naturale & violentum non sunt differentiae essentialis motus; cum etiam quieti conveniant. Sic homo albus & niger non differunt specie, licet albedo & nigredo specie differant:)

518 Inst. Saltem motus hominum, volatus avium, & natatio piscium forent ejusdem speciei (: si spectentur in ratione motus praecise c. si prout sunt proprietates mobilium specie distinctorum n. Sic potentia visiva hominis & bruti sunt ejusdem speciei, si considerentur in ratione potentiae visivae, quia habent idem objectum: quamquam specie distinguantur, quatenus sunt proprietates consequentes ad naturam hominis & bruti:;) si fiant ad eundem terminum ad quem: atqui hoc est absurdum; ergo.

519 Ob. 4. cont. 3. concl. Quando canis, è turri cadens, in aere moritur, subjectum non manet idem numero, & tamen est idem numero motus; quia nunquam interrumpitur (: interruptione temporis c. subjecti n. :) ergo unitas numerica non desumitur ab unitate subjecti. a. p. Motus canis vivi & motus canis mortui habent unicum instans copulans (: & simul idem subjectum n. secus c. :) ergo sunt continui, sicut motus torquis in cane tali continuus est.

520 Ob. 5. Tempus, tanquam motus primi mobilis, semper est unum & continuum (: prout est mensura intrinseca primi mobilis c. prout est mensura extrinseca rerum quae sunt in tempore n. :) ergo si ab eo sumeretur unitas numerica motus, foret semper idem motus.

521 Ob. 6. Quando equus continuo currit per integram leucam, acquirit plures terminos ad quos (: intermedios c. ultimos n. :) & tamen ille motus est unus numero: ergo.

522 Quæres 1. Unde sumatur contrarietas motuum? R. Formaliter, & primario ex oppositione terminorum ad quos (quia motus ab his habet speciem; ergo & contrarietatem, quæ velut proprietas speciem consequitur) consecutive autem & secundario etiam à terminis à quibus: hi enim contrarietatem perficiunt. Interim motus contrariatur quieti, quæ est in termino à quo (quia est privatio motus subsequenti) non autem ei, quæ est in termino ad quem: quia via & factio non contrariatur termino & rei facta. Caterum quies contrariatur quieti, si termini, in quibus sit quies, sint contrarii: quia sicut se habent motus ad invicem, ita & se habent quietes ad se mutuo; ergo. Vid. P. Renz hic q. 2. a. 4.

523 Quæres 2. An idem mobile simul moveri possit motibus contrariis? R. Quod non: quia nullum mobile potest simul accedere ad ter-

minum ad quem, & ab eodem recedere, (quod contingeret in motibus alterativis) fieri majus & minus (ut fieret in motu augmentationis) ascendere & descendere, quod fieret in motibus localibus sursum & deorsum; saltem si mobile sit in loco circumscriptive. Quodsi ratione sui in loco circumscriptive non esset, tunc per accedens moveri posset motibus contrariis, ut contingit in anima per unam manum mota sursum, & per alteram manum simul mota deorsum: Idem est de corpore Christi Eucharistico: ergo. Vid. cit. P. Renz a. 5.

## DISPUTATIO II.

### DE INFINITO.

AD Motum pertinet Infinitas, tum ratione durationis; quia motus potest durare in æternum: tum ratione divisionis; quia motus est de genere continuorum, quæ possunt in infinitum dividi; prout communiter dicitur: quod tamen amplius examinabimus à n. 683. Nunc examinandum est infinitum; quod num creatis detur vel per essentiam, vel per quantitatem, vel per qualitatem? resolvet sequens

### QUÆSTIO I.

#### DE INFINITO SECUNDUM ESSENTIAM, QUANTITATEM, ET QUALITATEM.

#### ARTICULUS I.

Utrum possibilis sit creatura infinita quoad essentiam?

PRænotandum: Infinitum quoad rem dici illud, quod pertransiri non potest: vel, quod nullis clauditur terminis. Dividitur in categorematicum (quod habet partes actu infinitas) & syncategorematicum, quod habet partes potentia tantum infinitas. Sic possibilitas creaturarum est syncategorematice infinita; cum non possint tot poni, quin adhuc plures sint possibiles. De infinito categorematico restat dubium, an dari queat?

CONCLUSIO: Non est possibilis creatura secundum essentiam infinita; etiam per absolutam Dei potentiam. Ita ex Arist. hic c. 5. & S. D. 1. p. q. 7. a. 3. & c. omnes Philosophi & Theologi,

Probatur: Quia talis creatura contineret in se omnem plenitudinem essendi; eoquod sibi necessario identificaret ultimam actualitatem in linea essendi, sc. existentiam & per consequens etiam in linea operandi: sicque esset creatura (ut

supponitur) & non esset (quia nec in genere logico nec physico, nec metaphysico limitaretur) ergo.

526 Obijcies 1. Potentia Dei est infinita: ergo potest producere effectum infinitum actu. c. p. Effectus debet proportionari suae causae (: n. d. quoad modum producendi c. quoad entitatem suam n. Secus effectus Dei deberet esse increatus: ) ergo cum causa sit infinita actu, etiam effectus erit infinitus actu.

527 Ob. 2. Potentia Dei infinita debet nobis manifestari: atqui non potest nobis manifestari nisi per effectum actu infinitum (: quoad entitatem n. quoad modum producendi sc. ex nihilo c. : ) ergo.

528 Urges: Effectus à Deo productus specificat ipsius potentiam infinitam (: intrinsece n. specificat extrinsece t. : ) ergo debet esse infinitus (: n. c. Secus ens rationis specificans logicam deberet esse ens reale : )

529 Ob. 3. Si Deus ageret ex necessitate, produceret effectum actu infinitum: ergo etiam nunc agens ex libertate potest talem producere. a. p. Deus tunc omnem suam virtutem infinitam exerceret: ergo produceret effectum infinitum (: nisi esset implicancia ex parte effectus c. si sit implicancia, ut in nostro casu est, n. : ) ergo.

530 Instas: Effectus infinitus non implicat ratione entis; quia Deus est ens, & tamen est actu infinitus: Nec ex ratione entis producti; quia in Divinis etiam Filius est ens productum (: ex nihilo, & limitatum materia & forma, vel existentia, uti creatura, n. est ens productum ab aeterno & illimitatum c. : ) & tamen est infinitus: ergo non implicat infinitum creatum.

531 Ob. 4. Deus potest producere creaturam omnium perfectissimam: atqui talis creatura est infinita quoad essentiam; ergo. a. p. Non exhauriretur ejus potentia; ergo potest. a. p. Etsi Deus non possit producere numerum binario minorem, nihilominus non exhauritur ejus potentia: ergo pariter etsi non posset producere creaturam perfectiorem, non tamen exhauriretur ejus potentia (: n. c. Quia numerus minor binario implicat ex parte sui & numeri, cum binario minor non sit possibilis; ergo etsi Deus non possit minorem creare, tamen non exhauritur ejus potentia; sicut non exhauritur, ex eo,

532 quod nequeat creare hircocervum: e contra creatura perfectior perfectissimâ modernâ non implicat ex parte sui, quia adhuc infinite distat à Deo: si ergo illam Deus non posset producere, esset defectus & exhaustio ex parte Dei: )

534 Ob. 5. urg. Deus potest producere substantiam imperfectissimam, sc. materiam primam, ergo etiam perfectissimam (: n. c. Nam bene datur accessus ad Deum minimus; imo nullus;

ut patet in nihilo: non autem datur omnimodus: )

Insistes: Si defacto darentur creaturae infinitae, semper una alterâ perfectior, aliqua earum esset infinite perfecta: ergo si sint creaturae infinitae possibiles (: categorematicae & possibilitate exhauribili c. si sint possibiles tantum syncategorematicae & possibilitate in exhauribili n. Imo n. supp. quod ex creaturis possibilibus aliqua sit perfectissima: ) quarum una semper perfectior altera, inter illas est possibilis infinite perfecta.

Ob. 6. Deus cognoscit omnes creaturas possibiles, eorumque numerum & perfectionem: ergo etiam cognoscit illam, quae omnibus possibilibus est perfectissima. c. p. Alias aliqua creatura (: possibilis n. impossibilis c. sic Deus in cumulo possibilium non cognoscit hircocervum, aut numerum finitum maximum: ) ejus obtutum subterfugeret: consequenter illam poterit producere.

Dices: Quamvis Deus non cognoscat numerum finitum maximum, tamen potest cognoscere creaturam perfectissimam; ergo nulla est paritas. a. p. Creatura quoad essentiam suam habet terminum intrinsecum, vi cuius nequeat propius ad Deum accedere (: n. hoc; quia etsi in infinitum magis & magis accedat, tamen adhuc infinite distabit à Deo, eo ipso quod semper maneat creatura: ) numerus verò non habet terminos multitudinis; ergo poterit cognoscere creaturam perfectissimam.

## ARTICULUS II.

An possibile sit infinitum actu secundum magnitudinem? multitudinem? & interversionem?

CONCLUSIO I. Implicat infinitum secundum magnitudinem. Est contra RR. aliquos.

Prob. 1. Quia non datur quantitas infinita; cum sit accidens, consequens substantiam: ergo si substantia non est infinita, multo minus quantitas infinita esse poterit.

Prob. 2. Tale infinitum esset sub certo genere, sc. quantitatis, & tamen non esset sub certa specie; quia excederet omnem mensuram; quod implicat: sicut implicat aliquid esse animal, quin sit in certa specie: ergo. Imo partes tales infinite v. g. oculi essent infinite magni (quia infinitum non potest componi ex partibus finitis) & non forent infinite magni, quia clauderentur capite: ergo.

CONCLUSIO II. Etiam implicat infinitum secundum multitudinem seu numerum. Est communis TT. contra quosdam Novatores.

542 Prob. 1. Talis numerus deberet constitui ex *unitatibus*, quæ cum quid finitum sint, infinitum efficere non possunt, etsi infinities sumantur; quia aliqua unitas semper est prima & ultima: ergo.

543 Prob. 2. Unum infinitum esset majus altero; quia, si essent infiniti homines, *numerus* digitorum esset *major* quam numerus illorum *hominum* infinitorum: ergo.

544 CONCLUSIO III. Implicat denique etiam infinitum secundum *qualitatem* seu intensiorem. *Ita citari contra citatos.*

Probatur: Quia talis qualitas infinite intensa *esset* accidens (ut supponitur) & *non esset*; quandoquidem omne accidens debeat inhaerere alicui subjecto *proportionato*: atqui *talis* qualitas non haberet subjectum proportionatum; quia substantia infinita implicat: ergo.

545 Respondent aa. Substantiam posse *elevari* ad recipiendam qualitatem infinitam.

Contra est: Nulla creatura potest elevari ad aliquid sibi *repugnans*: atqui ut substantia in *recipiendo* sit *infinita*, repugnat substantiæ; ergo non potest elevari ad receptionem *qualitatis infinitæ*, quæ quoque implicat; aliàs enim exhauriretur potentia Dei, si intensiorem creare non posset.

546 Obijcies 1. contr. 1. concl. *Linea infinita* non implicat ex parte Dei; quia ejus potentia est infinita, & consequenter in producendo illimitata (: *Ex. d. in rebus possibilibus* c. impossibilitibus & contradictionem involventibus n. secus possit producere hircocervum: ) Nec *ex parte lineæ*; quia secundum se *non* requirit *determinatum* terminum (: manendo intra genus *finitum* c. secus n. Nam quia linea est quanta, debet habere figuram, & consequenter etiam terminum: ) ergo non implicat infinitum actu.

548 Inst. Linea est infinita saltem potentia; quia semper & semper augeri potest: ergo potest fieri infinita actu. c. p. Omnis potentia debet posse redigi in actum (: eo modo, quo est redigibilis sc. *syncategorematice* c. *categorematice* n.: ) ergo.

459 Ob. 2. cont. 2. concl. Deus potest producere creaturas actu infinitas; ergo. a. p. Deus cognoscit *simul actu* infinitas creaturas (: ut *simul* producendas n. ut *successive* producendas c.: ) ergo etiam potest illas simul producere (: n. c. Alias Deus possit 12. horas diei, quas simul actu cognoscit, etiam simul producere: )

550 Urges: Deus in productione creaturarum non est alligatus ad *certam* differentiam temporis: ergo potest *hic* & nunc producere (: *collective* n. distributive & *divisim* c.: ) quidquid per totam æternitatem est producibile: atqui illud est aliquod infinitum. sc. creaturæ infinitæ (: *categorematice* n. *syncategorematice* c.: ) ergo.

R. P. A. Schnell, Phil. P. II.

Ob. 3. inst. Deus *actu* cognoscit infinita *possibilia* (: *simultate* se tenente ex parte *cognitionis* Divinæ c. *simultate* se tenente ex parte *rerum* cognitarum n.: ) quia non cognoscit unam rem post alteram: ergo non solum infinitum potentia, sed etiam *infinitum actu* possibile cognoscit.

Ob. 4. urg. Non implicat simultanea existentia *objectiva* & intentionalis creaturarum actu infinita: ergo nec implicat *existentia realis* illarum (: n. c. Quoniam creaturæ existentes tantum *objective* nondum participant essentiam Divinam, consequenter illam non exhauriunt; uti tamen exhaurirent creaturæ existentes realiter, quia facerent, ut essentia Divina non amplius esset participabilis: )

Clamas: Creaturæ *actu infinitæ* exhauriunt Divinam essentiam *actualiter*: ergo potentia infinitæ exhauriunt illam *possibilitate* (: n. c. Quia *possibiles* non sunt participatio, ut dictum: )

Ob. 5. *Essentiæ* possibiles sunt aliquid distinctum à Deo, *ex Meth. n. 503.* atqui illæ sunt infinitæ actu (: actualitate *existentia* n. actualitate *possibilitatis* c. Sic etsi dies infiniti sint *possibiles*, non faciunt infinitum actu: ) Deinde: Res omnes in æternitate sunt *physice* præsentis (: in mensura *propria* n. *aliena* c.: ) ergo faciunt infinitum *actu* (: n. c. Quia mensura aliena non tollit successionem in mensura propria, *ex tr. de Deo n. 251.*: )

Ob. 6. Deus potest in hoc instanti producere (: *collective* n. distributive c.: ) quidquid potest per totam æternitatem: atqui illi effectus sunt infiniti, si producantur actu; ergo. M. p. Existencia unius creaturæ non habet impossibilitatem cum existentia aliarum *omnium* (: *collective* n. *successive* & distributive c. Sic etsi Deus possit facere, quidquid potest per totam diem, tamen non potest facere ut omnes 12. horæ sint simul in hac determinata hora: ) ergo possunt simul produci.

Premes: Potest Deus in *quolibet* instanti (: & *determinato* & *designabili* c. *indeterminato* & *indesignabili* n.: ) unius horæ unum Angelum creare: atqui *omnia* instantia (: *physica* & *determinata* n. *metaphysica* & *indeterminata* c. creatio autem rei *determinata* requirit *instans* determinatum: ) sunt *infinita*; ergo Deus potest producere infinitos Angelos.

Ob. 7. Si non dantur infinitæ creaturæ, tunc dantur *infinitæ negationes* earum: ergo datur *infinitum* actu (: *negativum* c. *positivum* n. Quippe negationes quæ nunc dantur, sunt & numeri & entitatis expertes, ideoque potius datur negatio infiniti, quam infinitæ negationes: )

Dices: Infinitæ negationes sunt Deo liberæ (: distributive c. *collective* n.: ) ergo potest illas tollere, & loco illarum ponere infinitas res.

L

Ob. 8.

559 Ob. 8. cont. 3. concl. Non implicat calor infinitus; ergo, a. p. Deus potest producere id, quod possunt ignes infiniti (: Retorqueo: Deus potest, quod posset *hirco-cervus*; sed unus hircocervus posset producere alium, ergo etiam Deus potest illum producere:) atqui hi producerent calorem infinitum (: n. sup. quod dabilis sit infinitus ignis: deinde ex uno absurdo & impossibili sequitur aliud:) ergo.

560 Ob. ult. Defacto gratia & merita Christi sunt infinita (: in genere *moralis* c. in genere *physico* n.): item *malitia* peccati quoque est infinita, uti & visio beatifica (: *objective* c. *entitative* n.): ergo datur infinitum actu. Videatur *Theol. nost. Part. 1. n. 263. Item Part. 6. à n. 73. & à n. 396.*

561 Quæres: An quælibet res habeat terminum magnitudinis & parvitatæ, ita ut ultra illam naturaliter augeri, & minui non possit?

562 R. 1. Omnia viventia habent terminum magnitudinis, quem non possunt excedere: quia vis nutritiva illorum paulatim debilitatur & deficit. Nec obest, quod *crocydillus* semper crescat: nam in hoc terminus magnitudinis est finis vitæ, quam ad certos tantum annos deducit: imo in fine vitæ potentia nutritiva quoque deficit.

563 R. 2. Non-viventia non habent terminum magnitudinis: quia per appositionem sui similis non debilitantur, ut patet in aqua, igne &c. S. D. dum dicit, quod omnis forma habeat determinatam quantitatem, loquitur solum de termino actu, non potentia.

564 R. 3. Tam viventia quam non-viventia habent certum terminum suæ parvitatæ: quia viventia sub quantitate, sibi improporcionata, operationes suas exercere, & esse continuare nequeunt. Non-viventia autem v. g. ignis ad tantillam partem redigi potest, ut lucere, urere, & esse desinat. At! ne terminos scriptos transgrediamur, hisce duobus libris terminum ponimus.



## TRACTATUS IV. IN LIBRUM IV. PHYSICORUM.

### DISPUTATIO I. DE LOCO ET VACUO.

Inter motus physicos vix non præcipuus est motus *localis*, vi cuius corpus naturale ab uno loco transfertur in alium. Hinc Aristoteles, postquam in libro tertio disseruit de motu, in hoc quarto de Loco agit, ejusque privativo sc.

*Vacuo*: cui adjungit examen *temporis*; tanquam *mensura* motus extrinsecæ. Quæ & nos pro temporis angustia breviter discutiemus, in hac prima Disputatione locum daturi loco & vacuo per duas Quæstiones: in altera deinde temporis nos attemperaturi.

## QUÆSTIO I.

### DE LOCO.

#### ARTICULUS I.

*A quo desumatur immobilitas loci?*

Prænotandum 1. Locum ex Philosopho hic 566  
t. 41. communiter definiri: est *superficies* (intellige, concava seu *interior*, non convexa seu *exterior*) *corporis continentis* (id est undequaque circumcingentis, v. g. aëris, aquæ &c.) *prima* (hoc est, immediata) & *immobilis*; secus posset quis moveri, & simul manere in priori loco.

Prænot. 2. Locum dividi in *communem* 567 (qui plures continet) & *proprium* (de quo hic) qui subdividitur in *circumscriptivum* (qui circumscribit locatum ita, ut totum sit in toto & pars ejus in parte loci) & *definitivum* (qui rem ita continet, ut *tota* sit in toto, & *tota* in quælibet parte loci; velut anima: quod si res pro eodem instanti possit esse alibi, velut Christus in Eucharistia, dicitur locus *Sacramentalis*) jam ulterius

Prænot. 3. Locum circumscriptivum subdividi in *naturalem* (qui est superficies corporis amici) & *violentum* (qui est superficies corporis inimici) Item in locum *supremum* (qui est remotissimus à centro terræ) *medium* & *infimum*. Denique in *adequatum* (si totam rem comprehendit) ac *inadequatum* (si solummodo partem ambiat) Nunc ad rubricam sit

CONCLUSIO: Immobilitas loci de 569  
sumenda est à distantia à centro terræ & polis cæli. Ita communiter T. T. ex S. D. 4. phys. lect. 6.

Probat: Primum in quovis genere est causa & mensura cæterorum: atqui *cælum* est primum *continens*; ergo aliorum locorum immobilitas desumi debet ex distantia ad polos cæli, & *centrum* terræ, tanquam ultimum *contentum*. Præsertim: quia poli cælorum & centrum terræ semper manent, & immobilia sunt; ergo.

Objicies 1. Superficies, flante vento, 570  
in turri v. g. semper *mutatur* (: R. d. a. materialiter c. *formaliter* n. quia succedens semper habet eandem distantiam:) ergo & locus.

Ob. 2. urg. Flante vento, sunt aliæ superficies aëris: ergo & alia *distantia* (: materialiter 571

ter c. formaliter n. Sic si in fluvio conspicias tuam faciem, manet eadem, etsi alia semper aqua succedant :) c. p. Secus idem accidens transiret de subiecto in subiectum: ergo.

572 Ob. 3. Ipsum coelum, ceu ultimum locans, semper movetur (: per modum accessus vel recessus n. per modum gyrationis in uno indivisibili spatio ad polos t. :) ergo ab eo nequit desumi immobilitas loci. Præcipue: quia cardines coeli sunt puncta tantum imaginaria (: si considerentur in abstracto t. si in concreto n. :) ergo.

573 Ob. 4. Si duo progrediantur unus directe versus orientem, alter versus occidentem, servant ambo eandem distantiam (: secundum se & absolute t. eandem quoad modum distantiae n. Unus enim à polis distaret per aliam lineam :) ad polos coeli & centrum terræ, & tamen mutant locum: ergo.

574 Ob. 5. Si Deus destrueret Universum manente solo Petro, hic non amplius diceret respectum ad polos coeli aut centrum terræ; & tamen locum mutaret (: imaginarie c. physice n. tunc enim non esset in loco physico :) ergo. Rursum: Si, Petro immoto manente, poli eleventur, distantia mutaretur, non tamen locus (: n. hoc; quia foret alia distantia. Si autem Petrus simul eleveretur, tunc in ordine ad locum non aliter ac modò se haberet :) ergo.

575 Deduces: Omnes res corporeas & quantas esse in loco circumscriptive (quia sunt in superficie continente cum extensione partium ad ipsam) excepto cælo supremo, quod est in loco intrinseco tantum. Formæ substantiales & accidentales non sunt in loco circumscriptivo per se sed solum ratione torius: quia tantum ratione huius, mediante quantitate, extenduntur. Hinc si substantia conservetur sine quantitate, est quidem, & tamen nullibi est.

## ARTICULUS II.

Utrum res formaliter constituatur in loco per UBI intrinsecum modale?

576 **P**raenotandum: Præter locum extrinsecum (de quo nos hætenus) admitti à RR. in super locum aliquem intrinsecum seu ubicationem modalem, per motum localem productam, vi cuius res formaliter constituatur potius in hoc quam in alio loco. Contra hos pugnat hæc

577 **CONCLUSIO:** Non datur Ubi modale, sed ratio formalis, per quam res aliqua constituitur in loco, est ipsa superficies concava loci, connotans in obliquo motum adductivum vel productivum, cum negatione corporis intermediæ, & relatione. Ita contra Modistas TT. genuini ex Arist. l. 8. phys. & S. D. hic.

Probatur: Esse in loco nihil aliud est, quam corpus esse in superficie extrinseca ambiente: atqui hoc (suppositis connotatis in obliquo) fieri potest sine Ubi modalis: quemadmodum materia & forma uniuntur sine unione superaddita &c. ergo.

Objicies 1. Potest contingere, quòd Petro existente & certa superficie loci, Petrus non sit in hoc loco (: n. d. a. absolute c. suppositis connotatis n. :) ergo Petrus esse in hoc loco est aliquid, præter entitatem ejus superadditum (: intrinsecum n. extrinsecum c. :) ergo.

Ob. 2. Motus localis est nova realiter actio (: productiva n. aliàs enim non esset perfectissimus: adductiva tantum c. :) ergo debet habere novum terminum, qui est Ubi modale.

Ob. 3. Indifferentia intrinseca (: ad aliquid intrinsecum c. ad aliquid extrinsecum n. :) debet tolli per aliquid intrinsecum: atqui Petrus est intrinsece indifferens ad essendum in hoc loco (: d. ut ante :) ergo debet tolli per aliquid intrinsecum (: n. c. Formaliter itaque tollitur per ipsam superficiem extrinsecam, cum re locata conjunctam; effective verò per motum localem &c. :) ergo.

Ob. 4. Ubi est nova denominatio, debet esse nova forma (: de novo producta n. de novo applicata c. :) denominans: atqui quando Petrus venit in hunc locum, habetur nova denominatio; ergo.

Ob. 5. Si corpus poneretur in vacuo, non esset in loco extrinseco (: proprio c. communi n. quia adhuc esset sub cælo :) ergo esset in loco intrinseco (: modalis n. esset in loco intrinseco, si sumatur pro superficie intrinseca corporis contenti c. :) De duratione modalis dicetur infra à n. 672.

## ARTICULUS III.

An duo corpora possint esse in eodem loco? seu an detur penetratio?

**P**raenotandum: Tunc dari penetrationem, quando duo corpora quanta sunt in eodem loco proprio & circumscriptivo. Num manente extensione locali? dicitur n. 591. **CONCLUSIO:** Naturaliter non datur penetratio: bene autem supernaturaliter. Ita fere communis.

Prob. 1. pars: Quia naturaliter nequit dari essentia sine proprietatibus: atqui impenetrabilitas est proprietas rei quanta; ergo.

Prob. 2. pars: Deus potest impedire extensionem localem; ut patet in Eucharistia: ergo etiam expulsionem unius corporis ab alio; cum hæc ad extensionem localem primùm consequatur. Quin defacto Christus in Nativitate penetravit uterum B. V. in resurrectione lapidem

dem sepulchralem, in apparitionibus fores &c. ergo.

587 Obijcies I. cont. I. part. Spongia recipitaquam, ferrum ignem (: R. d. in sen. in suis poris c. :) ergo naturaliter datur penetratio.

588 Ob. 2. cont. 2. part. Per absolutam Dei potentiam duæ quantitates *successivæ* non possunt invicem penetrari e. g. dies hodierna & crastina non possunt esse simul: ergo nec poterunt se invicem penetrare duæ quantitates *permanentes* (: n. c. Quia quantitati *successivæ* est essentialiter non habere partes *simul* sed *successive*: e contra de essentia quantitatis *permanentis* non est non habere partes impenetrabiles; cum *impenetrabilitas* sit tantum ejus proprietas :)

589 Ob. 3. Partes ejusdem corporis, v. g. caput & pedes, non possunt se invicem penetrare: ergo neque duo corpora. a. p. De essentia quantitatis est, habere partes *extra partes* (: in ordine *ad se* c. in ordine *ad locum* n. :) ergo partes ejusdem corporis quanti non possunt se invicem penetrare.

Infers: Ergo corpus, cum capite penetratum, non est majus capite (: in ordine *ad locum* c. in ordine *ad se* & radicaliter n. :)

590 Ob. 4. Implicat duo corpora esse unum corpus: atqui si duo corpora essent simul in eodem loco, essent unum corpus; ergo. m. p. Quia haberent *easdem* proprietates individuales (: *intrinsecas* n. *extrinsecas* & *locales* tantum c. :) sc. eundem numero locum; ergo.

591 Ob. 5. Penetratio non potest fieri, nisi vel ex parte *unius* tollatur extensio *localis totaliter*, vel ex parte utriusque *partialiter*; quia alioquin ille locus *esset* adæquatus, ut supponitur, & non *esset* adæquatus, eo ipso quod aliud circumscriberet: nam sicut ad *quantitatem* essentialiter sequitur *extensio* partium *ad se*, tanquam effectus à quantitate indistinctus; ita ad *extensionem localem* essentialiter sequitur *physicus loci contactus* itidem indistinctus ab *extensione*: ergo *alterum* corpus, ex parte *cujus* dempta est *localis extensio*, proprie loquendo non est in loco, sed potius *indistans* à loco: ergo non est penetratio (: *adæquata* & proprie c. *inadæquata* & improprie n. :)

592 Ob. 6. urg. Contactus *physicus* & *expulsio* alterius corporis est effectus aliquis *positivus*: ergo *Divinitus* potest impediri (: *impedita* simul *extensione locali* c. *non impedita* n. Etenim sicut *supposita* *extensione* in ordine *ad se*, etiam *Divinitus* non potest dari *alia* *quantitas* ejusdem corporis *extensiva* in ordine *ad se*: ita neque *Divinitus* potest fieri, ut *quantitas* replens *locum* non expellet ab eodem loco omnem *aliam* *quantitatem* *extensivam* *ad locum*: quia talis *expulsio* est effectus ab *extensione locali indistinctus* :) Vid. Ruedorffer p. 3.

c. 4. q. 1. a. 2. §. 2. à n. 7. Oberhauser d. 4. q. 1. a. 3. §. 2. à n. 49. &c. &c.

## ARTICULUS IV.

*Num idem corpus simul possit esse in pluribus locis adæquatis circumscriptive? seu utrum detur replicatio?*

**P**Rænotantur: Quemadmodum prius quaesitum fuit, an duo corpora possint esse in eodem loco? ita nunc quaeri, an unum idemque corpus possit esse in pluribus locis *circumscriptive*? Nam quod in uno loco possit esse *circumscriptive*, alibi autem *alio* modo indivisibili, & inextenso, patet in Corpore Christi, quod *circumscriptive* existit in cælo, & simul *Sacramentaliter* in Eucharistia.

**CONCLUSIO:** Nec naturaliter, nec supernaturaliter, dari potest replicatio, vi cujus idem corpus sit in duobus locis adæquatis *circumscriptive*. *Est characteristica TT. ex S. D. 3. p. q. 76. a. 1. in c. Et quodl. 3. ad 2. &c. contra Scot. & RR.*

**Prob. 1.** Implicat multiplicari effectum formalem *secundarium* quantitatis, sc. *extensionem* in ordine *ad locum*, & non multiplicari effectum formalem *primarium* illius nempe *extensionem* in ordine *ad se* (sic gratia non potest facere filium *adoptivum*, quin faciat Deo *gratum*: bene tamen e contra, ut patet in Christo, ex tr. de Incarn. n. 387. :) atqui in replicatione *multiplicaretur* *extensio* in ordine *ad locum*; nec tamen *multiplicaretur* *extensio* in ordine *ad se* (alias hoc ipso non amplius esset *idem numero* corpus) ergo.

**Respondent** aa. *Extensionem localem* multiplicari tantum *connotative* & quoad *obliquum*, non verò *entitative* & quoad *rectum*: sicut manet eadem *entitative* relatio, etsi plures terminos connotet.

**Contra** est: *Extensio localis* multiplicatur *entitative*, & quoad *rectum*; ergo. a. p. *Quantitas* in replicatione *discontinuetur*; cum inter Petrum hic & Romæ existentem plura corpora intercederent: ergo multiplicaretur *entitative*. *Paritas* de relatione non est ad rem: quia eadem *entitative* relatio potest respicere plures terminos sub *eadem* *ratione* formali v. g. sub *ratione substantia* à se *genita*; non verò eadem *quantitas* potest esse in *pluribus locis* seu *superficiebus discontinuis*, nisi per *extensiones locales discontinuas*, sicque *entitative* multiplicari debet.

**Prob. 2.** Si idem corpus esset in duobus locis *circumscriptive*, tunc essent *adæquata* (ut supponitur) & *non essent*; quia unus adhuc alteri aliquid locandum relinqueret. Sic illa *causa* non dicitur *adæquata*, quæ adhuc alteri aliquid *causandum* relinquit; ergo. **Accedit**, quòd

quod corpus replicatum sibi ipsi posset fieri contiguum &c. in uno loco calefieri, in altero frigere, &c. hic vivere, ibi mori &c. quæ omnia absurdissima sunt; nec ista salvari queunt per diversas ubicationes; eoquod hæc à re ubicata non distinguantur, ex dicendis n. 672. ergo.

598 Objicies 1. Duo corpora divinitus possunt esse in eodem loco (secundum adequatam extensionem localem n. secus c. vid. 591. :) ergo etiam unum corpus potest esse in duobus locis (: R. n. c. & c. Nam quando duo sunt in eodem loco tantum impeditur effectus secundarius, manente primario; quod fieri potest, ut patet in Eucharistia, ubi Christus est extensus in ordine ad se, nec tamen est extensus in ordine ad locum: si autem unum corpus esset in pluribus locis, tunc poneretur & multiplicaretur effectus secundarius non posito & multiplicato primario. Imo esset idem corpus, ut supponitur; & non esset idem; quia à seipso discontinuaretur, sibi que fieri posset contiguum:)

599 Ob. 2. Idem corpus Christi potest esse in pluribus locis Sacramentaliter; ergo etiam potest esse in pluribus locis circumscriptive (: n. c. Quia præsentia sacramentalis est indivisibilis, & sine commensuratione ad locum; consequenter etsi multiplicetur, tamen corpus Christi non debet multiplicari & à seipso discontinuari: quod enim non est modo continuo & per extensionem ad locum, quomodo discontinuari poterit? Contrarium est in præsentia circumscriptiva; quæ insuper pro ratione formali habet quantitatem, sicque multiplicari nequit, nisi ipsa quantitas multiplicetur. Econtra præsentia Sacramentalis pro ratione formali habet conversionem unius substantiæ in aliam; quæ conversiones cum multiplicari queant, quin multiplicent unitatem substantialem corporis Christi entitativam, idem corpus potest esse in pluribus locis Sacramentaliter :)

600 Ob. 3. Inter corpus Christi Eucharisticum in Ecclesia Vineensi & inter corpus in ecclesia Ravenspurgeni intercedunt plura corpora, & tamen manet idem corpus, nec à se discontinuatur; ergo etiam corpus replicatum non discontinuabitur, etsi plura corpora intercederent (: n. c. Quippe corpus replicatum haberet contractum cum illis corporibus discontinuis, utpote divisibiliter & localiter extensum: quem contractum tamen non habet corpus Christi Eucharisticum, utpote non-extensum in ordine ad locum: sicque proprie non intercedunt corpora quia illa secundum quantitatem non contingit :)

601 Dices: Idem corpus Christi est in uno loco, cælo sc. circumscriptive, & in altero simul sacramentaliter: ergo etiam in utroque potest esse circumscriptive. c. p. Modus existendi circumscriptive (: in uno tantum loco c. in pluribus n. hic enim est impossibilis :) est naturalis; & consequenter facilius quam modus R. P. A. Schnell, Phil, P. II.

existendi Sacramentaliter, qui est supernaturalis: ergo.

Ob. 4. Deus potest quantitatem panis ver- 602 tere in quantitatem corporis Christi (: t. quia tunc quantitas corporis Christi esset una; cum tantummodo esset unum corpus: & non esset una; quia tribueret duplicem effectum formalem & extensionem in ordine ad locum :) atqui tunc corpus Christi esset in pluribus locis circumscriptive; ergo. m. p. Corpus Christi tunc haberet plures rationes formales essendi in loco circumscriptive, vid. plures conversiones quantitatis (: terminatas tamen ad unam quantitatem corporis Christi c. ad plures n. Quin, si corpus Christi per illas conversiones acquireret plures quantitates, non amplius esset idem corpus, sed plura :) ergo.

Ob. 5. Præsentia substantialis multi- 603 plicatur non multiplicatâ substantiâ, ut patet in Eucharistia: ergo etiam præsentia quantitativa potest multiplicari, non multiplicata quantitate (: n. c. Quoniam substantia non est ratio formalis essendi in loco substantialiter; cum hæc sit conversio, quæ si multiplicetur, multiplicatur etiam præsentia substantialis: econtra quantitas est ratio formalis essendi in loco circumscriptive; & consequenter non potest multiplicari præsentia circumscriptiva, quin multiplicetur ipsa quantitas: sicut album non potest multiplicari, quin multiplicentur ipsæ albedines. Si aa. dicunt, quod ubicatio sit ratio essendi in loco, nego suppositum, quod detur :)

Ob. 6. Locus circumscriptivus patitur 604 corpus extra sc. in alio loco (: circumscriptivo & quanto n. sacramentali & indivisibili c. :) quia corpus Christi est in cælo circumscriptive, & in terris Sacramentaliter: ergo corpus circumscriptum potest esse alicubi (: circumscriptive n. indivisibiliter c. :)

Replicas: Totum corpus Christi est in cæ- 605 lo; ergo non potest esse extra cælum (: adæquatione loci c. adæquatione sui, id est, secundum id, quod dicit modo indivisibili & substantiali, n. :)

Ob. 7. Potest eadem numero natura ter- 606 minari pluribus subsistentiis Divinis: ergo etiam pluribus locis (: n. c. Quippe una subsistentia Divina alteram, ob infinitatem suam, continet: non verò unus locus creatus, quia finitus est, continet alterum. Imo inverto argumentum: plures subsistentiæ create non possunt terminare eandem numero naturam; ergo nec plura loca circumscribere idem corpus :) Vid. tr. de Incarn. a. n. 214.

Ob. 8. Replicatio jam sæpe fuit facta; 607 ergo. a. p. Christus realiter & vere apparuit S. Paulo (: elevavit ipsius mentem & oculos; vel paululum cælos deseruit :) Item alii Sancti visi sunt simul in pluribus locis (: in uno fuit Angelus :) Christus in Eucharistia apparuit

instar pueri (: corpore ex aëre formato c. secus n. :)

608 **Infers:** Ergo homines decepti (: n. hoc; etenim ipsis non apparuit ad ostendendam *carne* sed veritatem Sacramenti, & præsentiam sui :)

609 **Ob. 9.** *Infist.* Dicti Sancti adverterunt, se esse in utroque loco: ergo non tantum per Angelos sed per *seipsos* fuerunt in utroque (: quoad *corpus* n. quoad *animam* c. Hæc enim, quia est in loco *indivisibiliter*, potest saltem supernaturaliter esse hic & alibi, ac corpori assumpto ex aëre assistere, non minus ac Angelus :)

610 **Ob. ult.** Famigeratissima illa Secretaria B. Virginis, Maria de Agreda, in Civitate Dei mystica *Part. 2. n. 1512.* expresse sibi revelatum dicit, quod B. V. per triduum fuerit simul  
611 in cœlo & in terra *corporaliter* (: corpore duplicato seu *replicato* n. corpore eodem è terra usque in cœlum invisibiliter forsan extenso, t. Sic *idem* radius solaris absque replicatione simul est in sole & terra :) ergo ibi data est replicatio (: *animæ* c. corporis n. vel subd. *adæquata* n. inadæquata seu *extensiva* tantum c. Cæterum replicatio animæ non est replicatio proprie. Hæc in favorem piæ Monialis dicta sunt secundum indulgentiam! :)

## QUÆSTIO II. DE VACUO.

### ARTICULUS I. Utrum detur vacuum?

612 **P**rænotandum: Vacuum *late* spectatum significare tam negationem quam privationem corporis in loco; *stricte* verò sumptum *privationem* duntaxat: & sic definitur, quod sit *superficies corporis, nullum aliud corpus ambiens,*  
613 seu locus *nullo* corpore repletus. Hoc vacuum *privativum* à vacuo *negativo* seu spatio imaginario per hoc distinguitur, quod *privativum* debeat esse *intra* sphaeram cœlestem, *imaginativum* autem *extra*.

614 **CONCLUSIO:** Naturaliter non datur vacuum bene verò supernaturaliter. *Ita communis ex Arist. 1. meteor. c. 2. &c.*

615 **Prob. 1. pars:** Vacuum repugnat bono *Universi*; siquidem faceret, quod partes *ipsius* non amplius essent colligatæ, quod horret mundus magnus: sicut mundus *parvus* sc. homo, horret separationem suarum partium: ergo.

616 **Prob. 2. pars:** Deus posset annihilare aërem, & impedire, ne terra aut aqua ascende-

ret, aut ne cœlum vel ignis descenderet, sup-  
plendo, quæ ratione vacui naturaliter deficerent: ergo.

**Objicies 1. cont. 1. part.** Naturaliter 617 datur Plenum; ergo etiam Vacuum. *c. p.* Dato *uno* oppositorum etiam datur *alterum* (: *R. d.* si utrumque tendat in conservationem *totius* c. *secus* n. Sic datur *veritas transcendentalis*, non tamen *falsitas* transcendentalis :)

**Ob. 2. urg.** Natura non horret vacuum: 618 ergo naturaliter datur. *a. p.* Natura non vivit: ergo non horret (: *proprie* c. *metaphorice* n. :)

**Ob. 3.** Quando Mercurius in Barometro 619 movetur usque ad summum, tunc in fistula illa vitrea nullus amplius est aër (: t. quia tantum condensatur :) ergo si descendit, datur vacuum (: n. c. Nam vel aër prius condensatus rarefit: vel loco ejus succedunt spiritus subtilissimi, ab ipso Mercurio evaporati &c. :)

**Ob. 4. cont. 2. part.** Contra ordinem 620 naturæ Deus nihil potest (: de potentia *ordinaria* c. *extraordinaria* n. :) atqui inductio vacui est contra ordinem naturæ; ergo.

## ARTICULUS II.

*An, si DEUS efficeret vacuum, in eo posset fieri motus localis?*

**P**rænotandum: Velut certum supponi, quod 621 in vacuo quis posset studere, aliasque actiones immanentes exercere, si à Deo suppleretur respiratio, requisitaque alia. De motu *locali* dubium est. Ad quod solvendum bene distingui debet, num motus fiat in vacuo *negativo*, vel *privativo*?

**CONCLUSIO I.** In vacuo *negativo* naturaliter possibilis est motus localis progressivus: non tamen motus gravium deorsum, aut levium, sursum. *Est communior.*

**Prob. 1. pars:** Homo supra extimam cœ- 623 li empyrei superficiem Divinitus collocatus posset directe aut sursum progredi; quia supponitur, quod se libere *movere* posset: ergo. Et licet non haberet fulcrum seu pavementum, propterea tamen non rueret: quia gravitas ipsum non impelleret, eo quod ibi non haberet centrum naturale, ad quod se inclinaret e jus gravitas.

**Prob. 2. pars:** In vacuo *negativo* extra cœ- 624 lum non datur *correspondentia* seu respectus ad centrum terræ aut polos cœli; adeoque nec sursum nec deorsum; ergo.

CON-



625 CONCLUSIO II. In vacuo *privativo* dari posset motus sursum & deorsum: non tamen motus progressivus. *Iterum communior.*

626 Prob. 1. pars: Si remanentibus cœlis & terra Deus annihilaret interjacentia elementa, nihilominus manerent reales differentia *sursum* & *deorsum* vid. cœlum & centrum terræ, ac insuper in mobili *virtus* naturalis se *movendi*: ergo.

627 Prob. 2. pars: Quia in *medio* vacui corpus non posset sustentari (nam ratione gravitatis caderet deorsum) in pavimento autem non posset levare pedes, quin faceret *discontiguitatem*; quod naturaliter est impossibile: ergo.

628 Obijcies 1. cont. 1. concl. In vacuo repugnat terminus motus (: R. d. a. in ordine ad locum *proprium* c. *communem* n. Ibi enim etsi non datur *inclinatio*, tamen adhuc datur diversa *distancia* à polis cœli & centro terræ:) ergo. a. p. Non datur *successiva* tendentia ab *una* superficie ad *aliam*: ergo.

629 Ob. 2. urg. In vacuo esset nulla *distancia* (: *positiva* c. *negativa* n. Nam etsi Deus annihilaret aërem, attamen cœlum & terra se invicem non tangerent:) inter mobile & terminum; quia nullum corpus interjaceret: ergo ibi non posset esse motus.

630 Ob. 3. cont. 2. concl. part. 1. In vacuo *privativo* non datur *sursum* & *deorsum* (: *immediatum* c. *mediatum* n.): ergo nec motus.

631 Ob. 4. cont. 2. part. Si Deus, ambulante Petro in hoc auditorio, annihilaret aërem, Petrus adhuc sustentaretur à pavimento: ergo posset adhuc progredi (: n. c. Etenim non posset levare pedes, quin faceret *discontiguitatem*

632 aliquam. Hinc orbiculus, cantharo suppositus, ob metum vacui tenacissime adhæret; nec dimoveri posset, nisi aër succederet: quemadmodum nec latera folium divelli queunt, nisi aër ingredi permittatur:)

633 Ob. 5. Motus in vacuo non foret *successivus*: ergo non haberet *essentiam* motus. a. p. Ibi non foret *resistentia mediæ*: ergo non esset *successivus* (: n. c. Quia adesset *distancia* termini à quo ad terminum ad quem:) c. p. *Illuminatio*, quia non habet *resistentiam* ex parte mediæ, fit in instanti: ergo & motus (: n. c. Quoniam *illuminatio* fit per *qualitatem*, cui nil obstat nisi medium, vel passum: motus autem fit per *quantitatem*, cui plura obstant:)

## DISPUTATIO II.

### DE TEMPORE, DURATIONE, INCEPTIONE ET DESITIONE RE- RUM.

**T**empus esse mensuram extrinsecam rei locatæ, supra dictum est. Hinc expedita materia spectante ad locum, nunc quoque

*tempus* considerari debet. Quod fiet in *Quæstione* prima hujus *Disputationis*. In *Quæstione* altera postmodum agetur de *duratione*, *inceptione*, & *desitione* rerum, quæ cum *tempore* alias plerumque connectuntur.

## QUÆSTIO I.

### DE TEMPORE.

#### ARTICULUS I.

*Quid sit tempus? Et an distinguatur à motu primi Mobilis?*

CONCLUSIO I. Tempus est numerus motus secundum prius & posterius. Ita communis ex Phil. 4. phys. t. 101.

Sensus est: Quod tempus sit motus primi mobilis, quatenus motus ille à nostro intellectu numeratur, ac in partes priores & posteriores discernitur, ut illo nostræ actiones & motus mensurentur.

CONCLUSIO II. Tempus à motu primi Mobilis realiter non distinguitur; adeoque non est mera fictio rationis sed aliquid reale. Ita communiter Philosophi ex S. D. q. 44. de temp. c. 1.

Probatur: Numerus numerabilis, qualis est tempus, realiter non distinguitur à re numerata; sic 10. ulnæ panni realiter non distinguuntur ab ipso panno: ergo.

Obijcies 1. cont. 1. concl. Numerus, etiam in concreto, est aliquid discretum (: R. d. a. si res numerata sit quid discretum c. si sit continuum n.): ut patet in decem hominibus: ergo tempus, utpote continuum, non est numerus.

Ob. 2. Quilibet motus potest numerari secundum partes priores & posteriores: ergo quilibet erit tempus (: secundarium t. primum n.):)

Ob. 3. cont. 2. concl. Juxta Arist. hicc. 11. tempus est *proprietas* primi mobilis: ergo ab hoc distinguitur (: c. totum; interim tamen non distinguitur à motu primi mobilis: quod solum dicit conclusio:) c. p. *Proprietas* distinguitur ab eo, cujus est *proprietas* (: sit sit *proprietas* physica t. si *metaphysica* n. Sic etiam unum, verum, bonum, sunt *proprietates entis*; nec tamen realiter ab ente distinguuntur: ergo.

Ob. 4. Temporis est esse *ubique*: atqui motus primi mobilis non est *ubique* (: *subjective* c. *commensurative* n.): ergo. Deinde: *mensura* & *mensuratum* non possunt esse *idem* (: si sit *mensura extrinseca* c. si *intrinseca* n. Sic baculus ulnaris, dum manifestat *mensuram panni* extrinsecam, simul suam *intrinsecam* ostendit:) ergo.

Ob. 5. Motus primi mobilis & tempus realiter separantur: ergo. a. p. Stante sole, dum

pugnavit Josue, fuit & fluxit *tempus* (: intrinsecum c. extrinsecum n. :) ergo.

643 Inst. Jam dabatur *tempus ante creationem* primi mobilis: ergo separantur. a. p. Firmamentum fuit *creatum* secundo die (: quoad *majorem* formositatem c. quoad substantiam & *motum* n. Secus enim Scriptura non diceret: *IN PRINCIPIO creavit Deus COELUM & terram:*) ergo.

644 Ob. 6. *Tempus est ens rationis*: ergo. a. p. Essentialiter dependet ab *intellectu* (: in ratione

645 mensuræ *actualis* t. *aptitudinalis* n. :) ergo. a. p. In *continuo*, v. g. in ulna, non dantur *quatuor* palmi nisi per intellectum designantem: ergo (: n. c. Quia *esse numeratum* est denominatio *extrinseca* tantum; *quæ non est ens rationis*, ex *Log. n. 451.* :)

## ARTICULUS II.

*An tempus sit præsens ratione partis? vel ratione instantis?*

646 PRÆNOT. 1. Nemini dubium esse, quin *tempus præsens* sit; alioquin enim nulla res in tempore inciperet. Difficultas superest, quomodo *præsens* sit? Ad cujus resolutionem

647 PRÆNOT. 2. In tempore (sicut in quolibet continuo) alias partes esse *divisibiles*; alias *indivisibiles* physice. Hæ posteriores in continuo permanente vocantur *indivisibilia* physica; in continuo successivo autem *instantia* physica.

648 CONCLUSIO: *Tempus est præsens ratione solius instantis*, realiter & physice *indivisibilis*. Ita TT. contra TT. ex S. D. l. 4. ph. lect. 23. dicitur: *In rebus non invenitur aliquid actu de motu, nisi quoddam INDIVISIBILE motus.*

649 Prob. 1. *Tempus est essentialiter ens successivum* (cum si numerus motus secundum *prius* & *posterius*) ergo non potest existere secundum aliquam partem *physice divisibilem* (quia sic haberet *plura instantia simul*; adeoque esset ens *permanens*, & non *successivum*) consequenter  
650 existit ratione *instantis* *indivisibilis*. Præcipue: quoniam *omne continuum* componitur ex *minimis* physice (prout dicitur à n. 699.) ergo quoque quoad *tale minimum* est *præsens*; nam secundum illud res est *præsens*, per quod constituitur; ergo.

651 Prob. 2. *Partes temporis sunt prius & posterius*; nam tales sunt partes, quale est totum: atqui *tempus* non potest esse *præsens* secundum partes prioris & posterioris; ergo. m. p. *Esse præsens* nil aliud est, quam aliquid *esse nunc*; atqui implicat aliquid esse *nunc* secundum partes prioris & posterioris (secundum *has* enim res *fuit*, aut *erit*) ergo est *præsens* ratione *instantis*.

652 Quod quidem non est *successivum* (utpote *indivisibile*) sed tamen est *fluens*; quia im-

mediate post non erit, & immediate ante non fuit: quod ad explicationem entis *successivi* sufficit; ergo.

654 Obicies 1. *Tempus præsens* est aliquid *extensum* & *divisibile*: ergo nequit existere per *indivisibile*. a. p. *omne continuum* (: R. 1. d. ratione *sui* c. quod est continuum præcise per *accessum* alterius n. :) est *divisibile* in partes: atqui *tempus* est *continuum* (: ratione *instantis* *præsentis* n. ratione *partis* immediate *præteritæ* & *futuræ* c. :) ergo (: R. 2. n. c. & c. quippe etiam *divisibile* v. g. corpus in homine existit per animam *rationalem*, quæ formaliter & ut *quod* est aliquid *indivisibile*, ac *divisibilis* virtualiter, & ut *quo*: ergo etiam *tempus* *divisibile* poterit existere per *instans formaliter* *indivisibile*, virtualiter tamen & ut *quo* *divisibile* :) 655

656 Ob. 2. *Tempus* debet existere, in quantum est *mensura continua* secundum *prius* & *posterius*: atqui non est *mensura* ratione *instantis* (: *entitative* & *materialiter* sumpti c. *formaliter* sumpti, quatenus connotat partes *priores* & *posteriores*, n. :) ergo.

657 Urges: Partes *priores* & *posteriores* temporis *non amplius sunt* (: *entitative* c. *terminative* aut *inchoative* n. :) ergo nequeunt constituitur *tempus præsens* (: si haberet *essentiam permanentem* c. si tantum *successivam* n. :) 658

658 Ob. 3. *Instans* *indivisibile* est *nexus partium*: ergo si *tempus* est *præsens* *ratione* *indivisibilis*, etiam *partes* (: *entitative* *tales* n. *inchoative* & *terminative* c. :) erunt *præsentis*. c. p. Ubi est *nexus*, ibi etiam sunt *connexa* (: *in se* *semper* n. in *suo nexu* c. Sic *catena*, per *rimam* *inspecta*, est *præsens* solummodo ratione *unius* *annuli* :)

659 Ob. 4. Si *tempus* est *præsens* secundum *instans* præcise, tunc *hoc* sequeretur iterum aliud: atqui hoc dici non potest; ergo. m. p. aliàs *continuum* componeretur ex *meris* *indivisibilibus* (: *physicis* c. *mathematicis* n. :) ergo.

660 Ob. 5. Sic *tempus* est *præsens*; ut supponitur: & *non esset* *præsens*; quia *instans* *indivisibile* (: *sumptum* *materialiter* & *entitative* c. *sumptum* *formaliter* sc. *terminative* & *inchoative* n. :) non est *tempus* (: aliter: *adequate* c. *inadequate* n. :) ergo.

661 Ob. 6. Datur in tempore pars *præteritæ* & *futuræ*: ergo etiam datur *pars præsentis* (: *Retorqueo*: datur *integer dies præteritus*; ergo etiam datur *integer dies præsens*. Vel d. c. ergo datur *pars præsens* ratione *instantis* c. ratione *partis* *divisibilis* n. :) c. p. *Præteritum* & *futurum* non habent *veritatem* nisi in ordine ad *præsens* (: ratione *totius* n. *instantis* c. :) ergo.

662 Inst. Partes temporis *ratione sui* sunt *præteritæ* & *futuræ* (: t. à *longe* : ) ergo etiam *ratione sui* sunt *præsentis* (: n. c. Quia *præsens*, cum

cum non admittat ante & post, non habet successivam latitudinem; quam tamen habet præteritum, & futurum :)

663 Ob. 7. urg. Nulla res potest transire ab uno extremo in aliud, nisi semel sit in medio (: vel per se, vel per aliquid sui c. semper per se subd. si mediam sit capax illius c. secus n. Præsens autem, utpote indivisibile, non est capax alicujus partis divisibilis. Sicerinis vel sericum tenuissimum, sub quo decurrit fluvius non est capax alicujus partis physice divisibilis fluvii, saltem secundum latitudinem :) atqui præsens est medium inter præteritum & futurum; ergo ut partes temporis futuræ transeant ad præteritum, debent prius esse in præsentia.

665 Ob. 8. Partes temporis non existunt existentia propria; aliàs essent præsentis ratione sui: nec existentia instantis; sæcus pars præterita & futura esset præsens, quia haberent existentiam in præsentia (: secundum quid & in fieri tantum c. absolute & in facto esse n. hæc enim existentia solis entibus permanentibus convenit :) atqui hoc dici non potest; ergo.

## QUÆSTIO II.

### DE DURATIONE, INCEPTIONE, ET DESINATIONE.

#### ARTICULUS I.

An detur duratio intrinseca & modalis, per quam res formaliter confirmatur in tempore?

666 PRÆNOTANDUM: Durationem defini: quod sit continuata rei existentia: seu, quod sit permanentia rei in esse. Est triplex, sc. aternitas (qua durat Deus) ævum (quo durant Angeli, animæ separatae, & corpora cælestia) ac tempus, quo durant res secundum substantiam & operationem mutabiles. Et hanc durationem RR. dicunt, ab existentia rei esse modaliter distinctam.

667 CONCLUSIO: Duratio non est aliquid modaliter distinctum ab existentia rei durantis: adeoque non datur duratio modalis. Ita communis TT. contra Modistas ex S. D. in 1. dist. 19. q. 2. a. 1.

668 Probatur: Suppositis certis connotatis (vid. actione conservativa, & connotatione temporis extrinseci) res omnino mutabilis per suam existentiam habet, quod continuet existentiam formaliter: atqui continuare existentiam nihil aliud

est, quam durare; ergo non datur duratio modalis. Præcipue: quia aliàs durare non esset continuare, sed de novo producere aliquid, nimirum durationem illam modalem intrinsecam; ergo.

Confirmatur: Usque huc cum genuinis TT. non tantum exclusimus omnem modum unionis, ubicationis &c. sed etiam quidquid modum sapit; hinc in Logica non admisimus relationem distinctam à fundamento; nec postea admittimus in continuo indivisibilia copulantiã aut terminantiã: ergo nec admittenda est duratio modalis hoc loco.

Obiicies 1. Duratio accidit existentia (: Ry. d. secundum id, quod dicit in recto n. quod dicit in obliquo c. :) ergo distinguitur ab existentia. s. p. Omne accidens (: physicum c. metaphysicum n. Sic relatio non distinguitur à fundamento :) distinguitur à suo subjecto: ergo.

Ob. 2. Si existentia & duratio sunt idem, tunc Petrus hodie durans jam durat cras; quia jam habet durationem crastinam (: quoad rectum c. quoad obliquum n. :) cum habeat existentiam crastinam: atqui hoc est absurdum; ergo.

Ob. 3. urg. Potest res aliqua existere, & tamen non durare (: positis requisitis n. secus c. :) ergo distinguuntur. a. p. Si Deus in uno instanti creat hominem, & altero destruit, talis homo existit, & tamen non duravit, ergo.

Ob. 4. inst. Potest res existere & tamen non durare, etiam positis requisitis; ergo. a. p. Angelus existit posita actione conservativa & tempore extrinseco; & tamen non durat tempore: ergo aliqua res (: mensurabilis tempore n. non mensurabilis tempore, ut est Angelus, c. :) potest existere, & tamen non durare.

Ob. 5. Petrus est indifferens ad durandum hoc, vel illo tempore: ergo ipsius indifferentia debet tolli per aliquid intrinsecum (: si esset indifferentia ad aliquid intrinsecum c. secus n. :) Deinde: Duratio est quid successive (: entitative n. connotative c. Nam duratio entitative non est ipsa extensio ad partes temporis, sed est continuata coexistentia rei permanentis ad partes temporis circa illam continuo fluentes: eo modo, quo baculus defixus in aqua coexistit partibus aquæ circa ipsum continuo fluentis :) ergo non est idem cum existentia.

Ob. 6. In omni linea totali actus secundus debet ab actu primo distingui (: quoad rectum n. quoad obliquum c. :) sic existentia distinguitur ab essentia: atqui duratio est actus secundus rei durantis; ergo debet ab hac distingui (: respective ad essentiam c. ad existentiam n. Duratio in recto enim est ipsa existentia; adeoque realiter distinguitur ab actu primo essentia: )

## ARTICULUS II.

Quomodo res in tempore incipiant ac desinant.

677 PRÆnotandum: Rem aliquam posse dupliciter incipere & desinere. Nimirum 1. *Intrinsece*; quando *designabile* est aliquod *instans* temporis, in quo res incipit vel desinit, ita ut verum sit dicere, nunc res *primo* est, nunc res *ultimo* est. 2. *Extrinsece*; quando tale *instans* non est designabile sed solummodo *instans*, in quo res non sit.

678 CONCLUSIO I. Res *successiva*, quales sunt motus & tempus, uti & omnia accidentia, quæ per motum *successivum* producuntur vel corrumpuntur, incipiunt ac desinant *extrinsece*. *Est communis Philosophorum.*

Probatur: Res *successiva* (idem est de accidentibus, *quatenus* substant *motui*) non possunt esse habere in instanti & *simul*; quoniam hoc repugnant *successioni*: ergo in illis non est assignabile *instans*, in quo verum sit dicere, nunc res *primo* aut *ultimo* est; consequenter non incipiunt vel desinant *intrinsece*.

679 CONCLUSIO II. Indivisibilia motus & temporis incipiunt & desinant *intrinsece*. *Est contra plures.*

Probatur: Totum eorum esse (hoc ipso quod sit *indivisibile*) existit *simul*, ita ut verum sit dicere, *nunc* est *instans* & *immediate* non fuit &c. ergo.

680 CONCLUSIO III. Res permanentes, ut substantiæ & accidentia cum formis resultantia, incipiunt *intrinsece*: & iterum *intrinsece* desinant. *Rursum communis quoad priorem partem; quoad alteram est contra communem.*

Probatur utraque pars: Quia omnes res permanentes incipiunt per *primum* sui esse, & desinant per *ultimum* sui esse; ergo. a. p. De qualibet ex illis cum veritate possum dicere, nunc *primo* est, nunc *ultimo* est; nam ens *permanens* omnes suas partes totamque essentiam habet *simul*; ergo.

681 Objicies 1. cont. 1. concl. Dum res *successiva* desinit, adhuc existit saltem per ultimum sui *instans*: ergo desinit *intrinsece* (: R. d. c. ratione sui n. ratione *instantis* illius c. :) nempe per *ultimum* sui esse.

682 Ob. 2. cont. 3. concl. Ex hac sententia sequitur, quod materia prima *sine* omni forma sit per totam illam partem temporis, quæ mediat inter *instans* A. & B. (: n. supp. quod inter *hac* intermediat *instans* aliquod: quia continuum componitur ex meris *indivisibilibus* physicis, ex dicendis à n. 699. :) atqui hoc est contra dicta n. 146. ergo.

## TRACTATUS V.

ET ULTIMUS.

IN LIBRUM VI. VII.

&amp; VIII.

PHYSICORUM.

## DISPUTATIO I.

DE CONTINUO.

AD pleniorem intelligentiam eorum, quæ de motu & tempore in prioribus dixerat Aristoteles, in præsentī libro VI. incipit tractare de *Continuo*. Quod & nos facimus in Disputatione hujate per *Quæstionem* unicam: in altera Disputatione postmodum ob materiæ affinitatem differemus de conditionibus motus & primo motore; quam materiam Aristoteles in duobus libris ultimis profequitur.

QUÆSTIO I<sup>ca</sup>.

DE COMPOSITIONE CONTINUI.

## ARTICULUS I.

An continuum componatur ex meris *indivisibilibus mathematicis*?

PRÆnotandum: Continuum ex Philosopho 6. <sup>683</sup> *phys.* definiri, esse id, *cujus partes communi termino copulantur*. Dividitur in *permanens* (quod omnes suas partes habet *simul*, ut linea, corpus, superficies) & *successivum* (quod habet partes *post* partes, ut tempus, motus) Item in *homogeneum* (cujus partes sunt *ejusdem* rationis, ut aqua) & *heterogeneum*, (cujus partes *diverse* rationis, ut homo) Rursum in *physicum* (quod habet quantitatem in materia *sensibili*) ac *mathematicum*; quod habet quantitatem ab omni materia abstractam, & non nisi per intellectum *divisibilem*. Hinc

PRÆnot. 2. *Indivisibile* pariter aliud esse <sup>684</sup> *physicum* (quod omnis *divisionis* *physicæ* est incapax; etsi intentionaliter adhuc possit dividi) aliud *mathematicum* (quod nec *physice* nec per intellectum dividi potest; neque spatium aliquod *divisibile* occupat) aliud denique *metaphysicum* quod etsi partibus careat, potest nihilominus occupare spatium *divisibile*, ut anima rationalis, Angelus, ac puncta inflata, ut vocant. E quibus

ARTICULUS II.

An continuum componatur ex partibus in infinitum divisibilibus?

ex his tribus componatur continuum, in sequentibus tribus Articulis decidetur.

685 CONCLUSIO: Continuum non componitur ex meris indivisibilibus mathematicis; sive sint finita (ut Zenoni placuit) sive infinita; ut volunt alii. Ita communis.

Probatur: Puncta mathematica nequeunt facere extensum; cum in se nullam extensionem habeant, utpote carentia omni quantitate: ergo nequeunt componere continuum: quia nemo dat, quod non habet.

686 Respondent aa. Quod puncta mathematica sint quidem indivisibilia entitative & intrinsece, non tamen extrinsece & in ordine ad locum, instar Angeli, aut animæ rationalis, qui locum divisibilem occupare possunt.

Contra est: Quod entitative & intrinsece est indivisibile, non potest esse extensum in ordine ad locum; quia extensio ad locum supponit extensionem in ordine ad se: sic musca ideo minus spatium occupat, quia intrinsece ac in se est minus extensa. Anima & Angelus per se nunquam sunt in loco circumscriptive sed tantum definitive; cum careant omni materia, & consequenter etiam quantitate. Puncta e contra illa deberent esse in loco circumscriptive, utpote materialia (secus enim continuum materiale non possent componere) quod tamen sine omni quantitate fieri nequit; ergo.

687 Objicies 1. Unitas addita unitati, licet sit indivisibilis, tamen facit numerum, qui est vera species quantitatis: ergo etiam indivisibile seu punctum mathematicum, etsi in se sit inextensum, potest tamen, additum alteri, facere aliquam extensionem (: r. n. c. & c. Quia ad numerum plus non requiritur, quam pluralitas; quam facere possunt etiam indivisibilia & unitates: e contra ad quantitatem continuam requiritur extensio, quam puncta mathematica non habent, uti nec inflata:)

688 Ob. 2. Continuum ultimò resolvitur in mera puncta seu indivisibilia (: physica c. mathematica aut inflata n. :) ergo ex iis quoque componitur.

689 Ob. 3. Indivisibilia (: physica c. mathematica n. :) impediunt penetrationem: ergo etsi uniantur, se non penetrant. a. p. Duæ manus ideo sese non penetrant, quia se tangunt secundum extremitates indivisibiles (: physice c. indivisibiles mathematice n. & suppositum, quod a parte rei dentur indivisibilia mathematica; cum nec sint accidens nec substantia corporea & quanta, sed duntaxat opera rationis, quæ Physici non attendunt: ergo.

690 PRænotandum: Certum esse, quod continuum non componatur ex partibus determinatis, æqualibus, aliquotis, & non-communicantibus; cum in has in infinitum dividi non possit. An componatur ex partibus indeterminatis, inæqualibus, aliquantis, & communicantibus, quarum una nempe semper medietate sit minor, dubitatur.

691 CONCLUSIO: Continuum non componitur ex partibus in infinitum divisibilibus physice. Ita TT. contra TT. Babenstuber, Renz, &c.

692 Prob. 1. Quia aliàs defacto daretur infinitum actu; partes enim illæ, in quas continuum dividi posset, essent actu infinitæ (cum nulla divisione exhaustiri possent) & actu distinctæ; quia divisibilitas est signum distinctionis actualis. Imo si partes illæ non essent actu distinctæ sed identificatæ, non facerent extensum, sicut penetrata non faciunt: quia, quæ sunt identificata, magis sibi sunt intima, quam penetrata; ergo.

693 Prob. 2. Aliàs unicâ alâ muscæ posset tegi totum universum. Quin, una arenula constaret tot partibus, quot mons integer, quia infinitis; & quidem æqualibus, si illa arenula semper divideretur secundum latitudinem: atqui hæc sunt absurda; ergo.

694 Objicies 1. Si continuum non componitur ex partibus in infinitum divisibilibus, tunc debet componi ex meris indivisibilibus (: r. d. physice & quantis c. mathematicis & omni quantitate carentibus n. :) atqui hoc non admittitur; ergo.

695 Ob. 2. inst. Si punctum physicum habet quantitatem, tunc est divisibile; ergo. a. p. Quod habet partes extra partes est divisibile: atqui omne quantum habet partes extra partes (: vel physice vel mathematice c. semper physice subd. si admittat capacitas subjecti, quod necdum attingit minimum quod sic c. si non admittat, ut contingit in minimo physico, n. :) ergo. m. p. Effectus formalis quantitatis est facere extensum in ordine ad se (: nisi obstat incapacitas subjecti c. secus n. :) ergo.

696 Ob. 3. Datur quantitas sine subjecto: ergo saltem hæc est divisibilis in infinitum physice. c. p. Hic non obstat incapacitas subjecti (: actualis c. exigivi, seu ad quod quantitas ex sua essentia ordinatur, n. :) a. p. In Evcharistia; ergo.

697 Ob. 4. Authoritates S. D. & Aristotelis, nobis contrarias (: r. quod non loquantur de partibus minimis: vel si de his loquantur, intelligendæ sunt tantummodo de divisibilitate ma-

thematica. Quin autoritatibus illis opponimus aliam ex S. D: 1. *Phys. lect. 9.* ubi ait: *licet corpus MATHEMATICÉ acceptum sit divisibile in infinitum, corpus tamen NATURALE (hoc est, physice tale) non est divisibile in infinitum :*) ergo.

### ARTICULUS III.

*An continuum componatur ex meris indivisibilibus physicis ?*

698 **P**rænotandum : Per *minimum physicum*, nos intelligere *quantitatem tantillam*, ut sub ea vix forma substantialis conservari queat. Et quamvis physice sit indivisibilis, est tamen *virtualiter* saltem divisibilis & æquivalenter, quatenus Deus loco hujus producere & substituere posset plura & plura minora corpuscula quanta. Sic anima rationalis, æternitas, immensitas, possunt dici *virtualiter* divisibiles, etsi realiter indivisibiles sint.

699 **C**ONCLUSIO : Continuum ultimato componitur ex meris *indivisibilibus physicis*, seu minimis realiter, divisibilibus tamen virtualiter seu æquivalenter. *Est fere contra communem.*

Probat: Continuum in *hæc* minima *physica resolvitur*; siquidem si divideretur infra *minimum* daretur minus *minimo*; & res periret, nec tamen haberet, in quod aliud converteretur, & ita deberet annihilari; quod naturaliter fieri non potest: ergo etiam ex iis *componitur*. Præcipue: cum non componatur ex *indivisibilibus mathematicis*, nec ex *partibus* in infinitum divisibilibus, ex dictis; ergo.

700 **O**bjicies 1. Quælibet *pars* continui, adhuc est physice divisibilis: ergo nunquam devenitur ad *minimum physicum*. a. p. Quælibet habet partes *extra* partes (: r. d. *actualiter* & *formaliter* n. *virtualiter* & æquivalenter c. :) hoc ipso, quod sit quanta & extensa; cum *divisibilitas* (: *virtualis* vel *formalis* c. semper *actualis* subd. si admittat *capacitas subjecti* c. si non admittat, ut contingit in *minimo physico*, n. :) sit *proprietas* quantitatis, & rei quantæ; ergo.

701 **O**b. 2. inst. *Minimum physicum* ideo *virtualiter* est divisibile, quia Deus adhuc potest creare alias partes illò adhuc minores; ergo est realiter divisibile. c. p. Deus semper potest aliquid minus & minus producere, quam sit *illud minimum*: ergo etiam potest illud realiter dividere (: n. c. Quia Deus multa potest separatim facere, quæ tamen non potest conjunctim, cum plerumque incapacitas *subjecti* obsistat: sic potest animam *vegetativam* & *sensitivam* separatim creare, non tamen potest animam *rationalem*, quæ illas *virtualiter* eminenter continet, in *eas* dividere. :)

Ob. 3. *Minima illa, tantum virtualiter* 702 *divisibilia*, non possunt substantiam facere *formaliter extensam*; ergo. a. r. Sunt tantum *virtualiter* extensa; ergo etiam *faciunt* non nisi *virtualiter extensum* (: n. c. Quia etsi sol sit solummodo *virtualiter* calidus, facit tamen *formaliter calidum* :).

Ob. 4. urg. *Minima physica* sunt indivisi- 703 *bilia*: ergo non faciunt *formaliter extensum*. c. p. Unum *indivisibile* (: tam *actualiter*, quam *virtualiter* c. si sit divisibile saltem *virtualiter* n. :) additum alteri non facit majus, cum unum tangat alterum secundum se *totum* (: *totaliter* & secundum *utrumque* latus n. nam sic deberent esse in eodem *indivisibili* loco: tangit non *totaliter* & secundum *unum* duntaxat latus c. Exemplum habes in ala minima & tenuissima inter duas alias posita :) ergo.

Instas: Duæ alæ tenuissimæ sibi invicem conjunguntur per superficies suas *indivisibiles*; ergo non faciunt majus (: si conjungerentur etiam secundum *alterum* latus c. tunc enim penetrarentur: secus n. :)

Ob. 5. *premo*: Quod habet sua late- 704 *ra* (: in *quantitate majore* minima c. in *quantitate minima* n. quia contra *rationem* ultimi & *minimi* est, *resolvi* & *dividi* posse :) potest realiter *dividi*: atqui *minima* *physica* habent sua latera; ergo possunt *dividi* realiter.

Replicas: Saltem latera *indivisibiles* *physi-* 705 *ci* penetrarentur, si *solum* à Deo crearentur (: n. a. Nam illa latera adhuc haberent *distincta latera loci* :) atqui sic *indivisibile* non esset *quantum*; ergo nec in *compositione* est *quantum*.

Ob. 6. Si continuum componeretur ex 706 *indivisibilibus* seu *minimis physicis*, tunc *linea* constans quinque punctis, non posset *dividi* in *duas* medietates æquales (: *mathematice* n. *realiter* & *physice* c. hoc autem *absurdum* non est; aliàs etiam *absurdum* erit, quod in *quantitate discreta numerus quinarium* in duas partes æquales *dividi* non queat :) atqui hoc est contra *sensum* (: *sensus* non pertingit ad *quantitatem* *minimam seorsim* consideratam :) ergo.

Ob. 7. Ex hac *sententia* *circulus minor* 707 est æqualis *majori*; quia *æqualia* *minima* seu *puncta* habent: siquidem à quolibet *puncto* *circuli* *majoris* duci possit *linea recta* (: *mathematica* c. *realis* & *physica* n. Quippe illæ *lineæ* in *circulo* *minori* confunduntur & quasi penetrantur :) ad *centrum* per *circulos* *minores*; ergo.

Ob. 8. Saltem *limax* tam cito movebitur 708 quam *cervus*; ergo. S. p. *Cervus* in *minimo temporis* non percurrit nisi *unicum minimum loci*; aliàs *motus* ille non foret *successivus* (: *respectu* *punctorum* *illorum*, quæ *simul* transit c. *respectu aliorum*, quæ vel jam pertransit, vel transibit, n. :) & *simpliciter* *limax* unum; siquidem

dem minus percurrere non possit: in altero, & sic in sequentibus, cervus iterum unum conficit (: n. hoc; quia plura simul percurrit: imo, minora & majora simul, à quibus tamen limax retardatur :) & limax similiter iterum; ergo moventur æqualiter.

709 Infiltes: Cervus & limax moventur eodem tempore: ergo eadem instantia percurrunt (: n. c. Etenim etiam homo & Angelus cognoscunt in eodem instanti & tempore, & tamen Angelus decem cognitiones elicit, usque dum homo unam absolvat :)

710 Ob. ult. Si minimum physicum non est in partes divisibile, non distinguetur à re spirituali (: n. f. Quia habet materiam & quantitatem, qua res spiritualis caret :) Præsertim: cum possit per rarefactionem extendi ad majus spatium absque extensione sua entitatis (: entitativa c. explicativa n. res spiritualis autem nullâ indiget. Imo n. supp. quod indivisibile physicum seorsim possit rarefieri, cum vix sit capax suæ formæ: atqui hoc non potest dici; ergo. Vid. P. Oberhauser d. 4. q. 3. a. 2. n. 126. P. Ruedorffer c. 4. q. 3. a. 1. &c.

711 do Quæres: An dentur indivisibilia terminantia & copulantia, à minimis physicis distincta?

712 R. 1. Non dantur indivisibilia copulantia. Ratio est: quia minima physica uniuntur seipsis; cum se habeant per modum potentia & actus integralis in ordine ad compositum integrale; quemadmodum materia & forma se habent per modum actus & potentia substantialis in ordine ad compositum substantiale; ergo uniuntur seipsis, sicut puncta copulantia immediate seipsis, unirentur partibus, ut volunt aa. ne datur processus in infinitum. Præcipue: quia puncta copulantia habent rationem modi, supra modum Thomistis sinceris exosi.

713 R. 2. Etiam non dantur indivisibilia terminantia. Ratio est: quia linea terminatur sine puncto terminante, à minimo physico distincto, & ab adversariis adstructo; siquidem si Deus illud auferret, linea, etiam ablato illo, non ulterius progredieretur, & consequenter esset terminata non tantum negative, sed etiam positive.

714 Oppones: Partes continui non uniuntur seipsis (: R. d. a. absolute & nude sumpta c. suppositis certis connotatis, sc. fluiditate, raritate, exclusione aëris, & actione unientis, n. :) aliàs omnia corpora in toto Universo essent unum continuum; ergo.

715 Dices: Continuum definitur, quod sit id, cujus partes copulantur termino communi; ergo dantur indivisibilia copulantia (: à minimis physicis distincta n. indistincta c. :)

716 Regeres: Quantitas debet habere terminum & quidem indivisibilem & inextensum (: realiter & physice c. virtualiter n. :) atqui minima physica non sunt inextensa (: physice n. R. P. A. Schnell, Phil. P. II.

virtualiter c. :) ergo non possunt esse terminus quantitatis.

Deduces: Quæ de continuo permanentes 717 diximus, etiam proportionaliter de successivo intelligenda esse. Videatur cit. Oberhauser à n. 139. & Ruedorffer a. 2. à n. 8.

## DISPUTATIO II.

### ET ULTIMA.

#### DE CONDITIONIBUS MOTUS ET PRIMO MOTORE.

IN libro VII. & VIII. prosequitur Aristoteles ea, quæ ad perfectam notitiam motus necessaria duxit. Præcipua ex illis sunt conditiones ad movendum requisitæ, mundi, motusque æternitas, ac Motor primus. Nos materiam de mundi æternitate in Physicam Particularem rejicimus. Duas residuas Quæstionibus duabus absolvemus.

### QUÆSTIO I.

#### DE CONDITIONIBUS AD MOTUM REQUISITIS.

#### ARTICULUS I.

An idem possit movere se ipsum.

PRænotandum: Circa conditiones ad motum requisitas hoc loco communiter inquiri 1. An movens & motum debeant distingui realiter? 2. An movens debeat esse præsens moto? De hoc in art. seq. De priori hic. Ubi supponitur 1. Quod in motibus violentis movens & mobile certo distinguantur. 2. Quod distinctio illa non semper debeat esse adæquata & suppositi, sed sufficere inadæquatam, quæ est partis à toto. 3. Quod idem possit seipsum movere per accidens, ut dum anima movet corpus, aut nauta navem.

CONCLUSIO: Nihil potest seipsum 719 movere, sed quicquid movetur, ab alio realiter distincto movetur. Ita Arist. hic t. 40. & S. Th. 1. cont. gent. c. 13.

Probat: Quia aliàs idem respectu ejusdem esset in actu (siquidem moveret seipsum) & simul in potentia; quia moveretur; ergo. Et quidem esset in actu formali (ut præoccupem evasionem aa.) nam quod est in actu virtuali solum

solum caloris v. g. non potest seipsum movere ad calorem formalem; veluti patet in vino, quod se nunquam calefacit sed duntaxat stomachum, à quo postea calefit.

720 **Objicies 1.** Si calci vivæ affundas aquam, seipsam accendit: mustum recens in dolio spon- te effervescit: lux solis, in speculo reflexa, seipsam intendit &c. ergo idem agit in seipsum (: *Ry. d. c. secundum idem n. secus c. :*)

721 **Ob. 2.** Viventia movent seipsa (: *ada- quate n. inadequate c.* Nam una pars movetur ab alia active; prima autem sc. cor movetur à generante, virtualiter existente :) ergo aliquid movet seipsum. a. p. Alioquin non amplius distinguerentur à non-viventibus (: n. hoc; nam *viventia* habent in se principium *activum* motus: non-viventia autem habent tantummodo *passivum* :) ergo.

722 **Ob. 3. urg.** Motus cordis est *vitalis* (: *participatus c. imparticipatus n. :*) ergo non potest provenire à *generante extrinseco* (: *elicitive* seu *emanative c. effective n. :*) Præsertim: quia generato in primo *instanti* non convenit (: *formaliter, consummative, & perfecte c. inchoative n. :*) quoniam est *successivus*; ergo.

723 **Ob. 4.** Gravia & levia habent principium *intrinsicum* motus (: *emanativum c. effectivum n. :*) ergo moventur à seipsis: secus etiam viventia movebuntur à *generante*, quando e. g. augentur aut crescunt; quia etiam illa *virtutem* crescendi accipiunt à generante (: ita ut actualis crescentia ipsis debeatur in *primo instanti*, quemadmodum gravibus & levibus debetur locus, n. secus c. :) sicut gravia & levia ab illo accipiunt gravitatem & levitatem; ergo.

725 **Ob. 5. inst.** Generans sæpe non amplius existit, aut saltem non est præsens (: *in se & secundum suam entitatem c. virtualiter* ratione virtutis à se relictæ n. :) ergo ab hoc non potest provenire motus. Deinde: voluntas *elicit* volitionem (: ut *mota* ab objecto & *promota c.* secus n. :) & eandem in se *recipit*; quia est actio immanens: ergo.

## ARTICULUS II.

*Utrum detur actio in distans?*

726 **P**Rænotandum: Hic inquiri, an agens debeat semper esse præsens passo saltem *præsentia virtutis*, à se per medium diffusæ? Nam necessario haud requiri, ut præsens sit *præsentia suppositi*, luce meridiana clarius ostendit sol, qui in hæc inferiora agit, quin iis quoad suppositum præsens sit.

727 **CONCLUSIO:** Naturaliter non datur actio in distans: bene tamen supernaturaliter. Ita TT. & RR. plerique contra Scot.

728 **Prob. 1. pars:** Quodlibet agens naturale habet certam *sphæram* activitatis; quia uti in

essendo ita & in *operando* limitatur, ideoque virtus ejus per medium propagata sensim debilitatur, veluti constat experientia: ergo non potest agere in distans nisi virtute per medium diffusa seu pertransito medio. Sic non potest transire in locum distitum, nisi pertranseat loca intermedia.

**Prob. 2. pars:** Deus potest actionem a- gentis transferre in passum distans absque hoc quod aliquid agat in medio; quia *approximatio* agentis non est virtus agendi sed tantum *conditio*, quam Deus supplere potest: ergo supernaturaliter possibilis est actio in distans. Sic ignis infernalis torquet dæmones absentes &c.

**Objicies 1. cont. 1. part.** *Causa natura-* lis sæpe agit in subjectum remotum, non agen- do in medium: ergo agit in distans. a. p. Mag- nes trahit ferrum distans (: *Ry. d. per virtutem diffusam c. secus n. :*) etiam per chartam in- termediam (: ita tamen ut ejus virtus poros chartæ penetret, aut oblique feratur c. secus n. :) ergo.

**Ob. 2.** Pulvis sympatheticus medetur vul- neri, etsi vulneratus sit *absens* (: *entitative c. virtualiter n.* Nam virtus illius pulveris ob sympathiam à *vulnerato* attrahitur per medium; cujus signum est, quia nisi inspergatur sanguini vulnerati, nihil operatur :) ergo.

**Ob. 3.** Angelus *præsens* potest conceptum Angeli *absentis* cognoscere naturaliter: ergo datur naturaliter actio in distans (: *productiva*, de qua tantum loquimur, n. actio *intellectiva t.* In rigore enim similis cognitio non est actio in distans, quia Angelus præsens jam *prius* habuit species infusas, in actu primo repræsentativas conceptus Angeli absentis :) *Vid. tr. de Angel. à n. 97. Item 299.*

**Ob. 4.** Ignis calidus ut quatuor, si appli- cetur etiam medio calido ut quatuor, agit in *passum* (: conservando tantummodo medium, vel se illi uniendo per modum *unius* principii c. secus n. :) & tamen non agit in medium; quia simile non agit in simile, ex *Phys. partic. n. 157.* ergo tunc datur actio in distans.

**Quæres 1.** A quo moveantur projecta? *Ry.* Ab impulsu à projiciente impresso: quia non à *causa universalis*; cum ad hanc recurrere sine necessitate philosophum non deceat: Nec ab *aëre*: quia lapis projectus per contrarium ven- tum & aërem transvolat, ergo.

**Quæres 2.** Unde proveniat motus resi- lientæ? *Ry.* *Primario* ab impulsu, secundario au- tem à vi elastica: siquidem pila eo fortius resi- liat, quo fortius obstaculo fuerat allisa; ergo. Plura huc pertinentia, non adeo tamen neces- saria, exhibebit P. Renz d. 6. q. 1. &c.



QUÆSTIO II.  
DE PRIMO MOTORE, ET CAU-  
SÆ SECUNDÆ AD EUM SUBOR-  
DINATIONE.

ARTICULUS I.

An causa prima semper cum causa secunda  
concurrat, & immediate in ejus effectus  
influat?

736 **P**raenotandum: Ex eo, quod quidquid mo-  
vetur, ab alio moveatur, necessario ad-  
mitti debere primum motorem. Quod hic  
mediate concurrat cum causis secundis, dando  
ipsis esse, certum est. An autem immediate & simul  
concurrat in omnes earum effectus & actiones? li-  
tigatur.

737 **CONCLUSIO:** Deus concursu simulta-  
neo immediate influit in omnes actiones & effe-  
ctus causæ secundæ. Est communis ex S. Script.  
*Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Is.*  
*26.* utique non dando tantum virtutem operandi,  
(secus etiam Adam hodie sic operaretur, quia  
ab ipso habemus virtutem operandi) ergo im-  
mediate concurrando.

738 **Prob. 1.** Omnis creatura, omnis effe-  
ctus, & ipsa etiam creaturarum actio, est ens  
*creatum* & per participationem; ergo essentialiter  
& immediate est à Deo. Præsertim: quia  
aliàs creatura perfectius (quia immediate) ageret  
quam Deus: sicque effectus magis dependeret à  
causa secunda quam à causa prima: sicut filius  
magis dependet à patre, tanquam causa imme-  
diata, quam ab avo: ergo.

739 **Prob. 2.** Deus immediate conservat om-  
nes actiones & effectus causæ creatæ; quia man-  
ente causa in suo esse illos potest destruere;  
ut patet in igne Babylonico: ergo etiam imme-  
diate ad illos concurrat; cum immediata conser-  
vatio sit continuata productio.

740 **Objicies 1.** Si Deus concurrat immedia-  
te cum causa secunda ad omnes ejus effectus,  
tunc concurreret per eandem actionem, quia  
operatur creatura, ex S. D. q. 3. de pot. a. 2. ad  
3. atqui hoc dici non potest; ergo. m. p. Alio-  
quin plures causæ totales (: r. d. ejusdem ordi-  
nis n. diversi ordinis & subordinata c. Sic eadem  
scissio provenit à causa principali & instrumen-  
tali :) haberent unam eandemque actionem.  
Item eadem actio esset transiens & immanens (: re-  
spectu ejusdem n. diversorum c. :) creata & in-  
creata (: materialiter & entitative n. originaliter  
& ex parte principiorum c. :) quod implicat.  
ergo.

741 **Urgebis:** Actio causæ creatæ causatur à  
Deo (: per actionem incretam & immanen-  
tem c. per actionem creatam & extraneam n. :)  
& est effectus illius; ergo illa actio creata ne-  
quit esse actio Dei (: increta c. creata seu tem-  
poranea n. concursus simultaneus enim est actio

Dei, per quam illam ille agit ad extra actione  
temporali :) secus idem causaret seipsum (: si  
actio creaturæ esset actio Dei immanens & æter-  
na c. si est actio Dei tantum temporalis & ad  
extra n. :)

Ob. 2. Deus non concurrat ad actus vi-  
tales (: elicitive c. effective n. :) ergo non con-  
currat ad omnes actiones causæ secundæ. a. p.  
Deus non est principium intrinsecum; ergo non  
concurrat ad actum vitalem (: elicitive c. effecti-  
ve n. Sic, etsi species non sit vitalis, tamen effe-  
ctive concurrat ad intellectionem :)

Dices: Vitalitas est etiam entitas realis: er-  
go etiam causatur immediate à Deo (: ut vita-  
lis est n. ut ens est c. Sic peccatum causatur à  
Deo ut ens est, non verò ut malum est :) Dein-  
de: Deus non concurrat cum causa materiali &  
formali (: materialiter & formaliter c. effective  
n. quia vere causat & conservat materiam & for-  
mam :) ergo.

Ob. 3. Deus mediante calore calefacit,  
mediate luce illuminat (: itaut operatio caloris  
& lucis etiam ab ipso immediate procedat c. se-  
cus n. :) ergo non operatur immediate. c. p.  
Quia substantia ignis producit alium ignem me-  
diante calore, ideo substantia ignis non operatur  
immediate: ergo neque Deus (: n. c. Quoni-  
am operatio caloris immediate à Deo procedit,  
non item ab igne :)

Ob. 4. Creatura, supposita sui conserva-  
tione, habet proportionatam virtutem suo effectui:  
ergo non indiget concursu immediato alterius  
causæ (: particularis c. universalis n. :) alias non  
erit causa principalis (: si daretur propter insuffi-  
cientiam c. si tantum propter dependentiam n. :)

Ob. 5. Creatura est causa totalis: ergo  
non admittit concursum alterius causæ (: ejus-  
dem ordinis c. altioris n. :) Deinde: causa secun-  
da producit totum effectum (: in suo ordine &  
sub ratione individuali c. in omni ordine & sub  
ratione universalissima entis n. Taliter enim so-  
lus Deus producit; causæ enim universales crea-  
te sub ratione minus universali, v. g. sub ratio-  
ne corporis, effectum producant :) ergo Deus  
nihil producit.

Ob. 6. Non implicari, ut Deus commu-  
nicet creaturis potentiam agendi sine suo con-  
cursu actuali: ergo defacto sic communicavit  
(: t. a. quia sicut implicat creaturam non de-  
pendere à Deo in essendo, ita implicat illam non  
dependere ab eo in operando. n. c. Quia Deus  
non omnia defacto fecit, quæ potuit: secus plu-  
res & perfectiores mundos condidisset :) c. p.  
Deus id fecit, quod magis manifestat ipsius po-  
tentiam & liberalitatem: ergo.

ARTICULUS II.

Utrum Deus creaturas physice præmo-  
veat?

**P**raenotandum: Præmotionem physicam  
de-

definiri, quod sit *realis & physica motio*, à solo Deo procedens, & causa creata transeunter impressa, prioritate natura procedens ipsius operationes: per quam causa creata efficaciter excitatur & applicatur ad operationem, conformiter suae naturae eliciendam. Distinguitur à concursu simultaneo, quod Deus per hunc non faciat, ut causa secunda faciat & agat, sed tantummodo coagat, eundem cum ipsa effectum producendo ceu causa universalis, & à se dependentem faciat: e contra per pramotionem facit, ut causa secunda faciat, applicando illam ad agendum, sicque illam à se ut à causa prima dependentem faciendo.

750 CONCLUSIO: Datur pramotio physica. Est characteristica TT. ex S. D. quodl. 12. a. 4. dicente: omnia prae-determinari & prae-finari à Divina providentia &c. contra Scot. & RR.

751 Prob. 1. Causae secundae non tantum quoad esse sed etiam quoad operari subordinantur Deo, & ab eo dependent (cum non tantum sit ens primum, sed etiam agens & causa prima) adeoque habet efficacissimam voluntatem & dominium in omnes nostras voluntates: atqui hoc non salvat motio praecise moralis (tum quia solummodo agens liberum est hujus capax: tum quia non infallibiliter connectitur cum actione; siquidem sit inefficax, & efficaciam suam sumat à nostra voluntate) Nec concursus simultaneus; tum quia hic non est prior ipsa actione creata, eo ipso quod simultaneus sit: tum quia non recipitur in agente; cum se teneat ex parte effectus tantum: tum quia de se est indifferens, nectacit, ut voluntas faciat; ergo.

752 Prob. 2. Subordinatio & dependentia causae secundae à causa prima non salvatur per hoc, quod Deus det potentiam operandi, velut respondent aa. 1. ergo. a. p. Collatio illa potentiae illiusque conservatio solum datur ad posse operari: ergo per illam causa secunda non potest dependere in ratione causae actualiter operantis. c. p. Etsi Deus contulerit causae secundae potentiam seu posse producere effectum, per hoc tamen actio & effectus causae secundae nondum immediate dependet à Deo, sed requiritur adhuc concursus simultaneus: ergo quoque licet Deus contulerit posse operari, per hoc tamen in ratione causae actualiter operantis non poterit immediate dependere à Deo, sed insuper requiritur concursus praevious & physicus.

753 Confirmatur: Quia omnis actio & effectus creatus immediate dependet à Deo in ratione entis, ideo nulla creatura sibi ipsi, & sine concursu simultaneo, sufficiens est tollendi indifferentiam ad esse vel non esse entis, esto quod ad ejusmodi actionem vel effectum Deus contulerit causae secundae potentiam completam agendi: ergo quoque, quia omnis causa secunda immediate dependet à Deo in ratione causae actualiter operantis, nulla sibi ipsi sine pramotione physica sufficiens

erit tollendi indifferentiam ad esse vel non esse causa actualiter operantis, esto quod ad ejusmodi actum secundum Deum ei contulerit potentiam completam agendi. Deinde: S. D. 1. p. q. 105. a. 3. dicit, quod Deus causam secundam applicet ad agendum: ergo non sufficit datio & conservatio potentiae.

Prob. 3. Subordinatio & dependentia causae secundae à causa prima etiam non salvatur per concursum simultaneum, uti respondent aa. 2. ergo. a. p. Actio quae subordinat sibi effectum in ratione entis, debet esse praevia sive naturam prior ad ipsum effectum (eo ipso quia causa est, ex 2. phys.) ergo etiam actio, quae sibi subordinat causam secundam in ratione causae actualiter operantis. Imo si concursus simultaneus sibi subordinaret causam secundam, jam non foret simultaneus sed praevious; quia haec esset effectus. Nec sufficit prioritas dignitatis: nam quia Deus est ens primum, ideo ens secundum ei subordinatur & dependet vi causalitatis physicae & praeviae, qua influit in omne ens: ergo pariter quia est causa prima, ei subordinabitur omnis causa secunda vi causalitatis physicae & praeviae, qua influit in omnem causam secundam.

Prob. 4. Per hoc, quod causa secunda non possit agere sine prima, etiam non salvatur dicta subordinatio & dependentia, prout volunt aa. 3. ergo. a. p. Quamvis Deus non possit concurrere ad actionem vitalem, si non concurrat causa secunda & principium vitale (quia concursus est ipsa actio causae secundae) nihilominus per hoc Deus non subordinatur, nec dependet à causa secunda & principio vitali: ergo vicissim etsi causa secunda non possit agere sine prima, per hoc non subordinatur causae primae. c. p. Licet unus portans cum alio lapidem, quem solus portare non posset, adjuvetur ab illo alio simul concurrente, per hoc tamen huic non subordinatur: ergo pariter licet causa secunda non possit agere sine Deo. a. p. Ideo dependeret, quia solus portare non posset: atqui etiam ille adjuvans non posset solus portare, & tamen non subordinatur; ergo.

Objicies 1. Auctoritates varias S. Scripturae, Conciliorum, & SS. PP. afferentium, non dari pramotionem physicam (: R. n. hoc; nam pro hac in primis est S. Scriptura, dum dicit: Deum omnia operari IN nobis, non NOBISCUM; Deus enim operando in nobis se non habet ut aliquis levans lapidem cum altero (Nam talis non operatur in alterum, quia cum altero) sed, ut magister docens manum pueri scribentis, ideoque faciens à se dependentem & puerum & scripturam ejus. Deinde: pro pramotione etiam stat Concil. Trid. in suo Catech. 1. p. n. 22. approbato à S. Pio V. & Greg. XV. dicens: Deus non solum universa administrat, sed etiam, que moventur & agunt aliquid, ad motum & actionem ita impellit, ut quamvis CAUSARUM SECUNDARUM

**DARUM** efficientiam non impediatur, **PRÆVENIAT** tamen. Denique etiam accedunt SS. PP. nominatim S. Augustinus, & S. Thomas: nam TT. unanimiter agnoscunt *existentiam* prae-motionis: ergo & S. Aug. ac S. Th. quia Benedictus XIII. in *Brevi dato* 6. Nov. 1724. declarat, doctrinam TT. esse doctrinam S. Augustini & S. Thomae: ergo.

758 Ob. 2. Aristoteles ait, quod *agens* agendo non mutetur (: per actionem suam c. per actionem Dei subd. non mutatur motu alterationis c. fecus n. :) atqui si physice prae-moveatur, tunc mutatur; ergo non datur prae-motio. Praecipue: quia S. D. asserit, quod Deus non prae-determinet actiones nostras (: necessitando c. infallibilitando n. :) nec, movendo voluntatem, aliquid imprimat (: permanens c. transiens n. :) Imo S. D. solum dicit, quod Deus creaturas moveat: ergo juxta S. D. non datur prae-motio (: n. c. Quia omnis motio moventis praecedit motum mobilis, ratione & causa, ut ait idem S. D. cont. gent. c. 149. :) )

759 Ob. 3. Omnis causa creata, saltem principalis, jam est completa in suo ordine (: in actu primo c. in actu secundo n. :) ergo non indiget prae-motione superaddita. c. p. Secus omnis causa creata erit causa instrumentalis; quia indigeret motione alterius causae (: quae sit tota virtus agendi n. quae sit tantum applicatio virtutis praesuppositae c. :) ergo. Deinde: Agens creatum per actionem denominatur (: formaliter c. causaliter & applicative n. :) in actu secundo agens: ergo etiam in actu secundo agendi constituitur per illam (: formaliter c. applicative n. :) consequenter non requiritur concursus praevius.

760 Ob. 4. Ideo daretur prae-motio, quia deberet tollere indifferentiam causae secundae: atqui causae secundae, saltem necessariae, non sunt indifferentes (: quoad speciem actus c. quoad exercitium n. Nam ex defectu hujus prae-motivae applicationis ignis Babylonicus non combussit tres pueros :) causae liberae verò seipsas determinant (: formaliter c. causaliter n. :) Insuper: creaturae per solum Dei imperium immediate sunt create; ergo etiam per solum Dei imperium immediate poterunt operari (: n. c. Quia in creatione se habuerunt passive tantum; in operando autem se habent active :) )

761 Ob. 5. Concursus simultaneus omnia praestit; quae praestaret prae-motio physica; ergo. a. p. Ideo requireretur prae-motio, ut salvaretur actualis dependentia causa creata à Deo (: ut cooperatore & concausa n. ut motore & causa prima c. Vel aliter: ut salvetur dependentia ex parte effectus n. ex parte ipsius causae creatae c. :) atqui haec salvatur per concursum simultaneum; quia, hoc supposito, creatura non agit sine Deo (: ut concausa c. ut causa prima n. Et enim concursus simultaneus nihil ponit in cau-  
R. P. A. Schnell, Phil. P. II.

sa secunda, sed totus recipitur in effectu :) ergo.

Replicas: Prae-motio tantummodo se tenet ex parte actus primi; ergo. a. p. Sine illa creatura non potest operari (: ex defectu virtutis n. ex defectu applicationis c. :) Imo prae-motio antecedit operationem & actum secundum (: causalem n. formalem c. Vel praecedat actum secundum per modum principii habitualis n. actualis seu per modum exercitii c. :) ergo se tenet ex parte actus primi, consequenter &c.

Ob. 6. Si daretur, tunc deberet consistere in decreto Dei extrinseco (: n. hoc; nam prae-motio est participatio decreti Divini, cujus efficaciam defert ad causam creatam; consequenter non potest consistere in solo decreto extrinseco: sicut enim Deus non potest constituere causam creatam in actu primo operativam: quin superaddat ei aliquam virtutem intrinsecam; sic nec in actu secundo, quin ei superaddat aliquid intrinsecum per modum applicationis; siquidem quoque intrinsece impotens sit & inepta, ut se reducat de actu primo ad actum secundum: adeoque debet immutari intrinsece; quod per solum Dei decretum, utpote pure extrinsecum fieri non potest :) atqui in illo decreto non potest consistere; ergo.

Ob. 7. urg. Prae-motio est immediata causalitas Dei ad extra (: immanenter talis c. transunter talis n. :) ergo consistit in decreto. c. p. Deus causat ad extra per imperium (: dum creat c. dum creata movet subd. per solum imperium n. simul per quamdam qualitatem c. :) ergo. Praecipue: quia alioquin Deus in genere operativi non identificaret sibi actum secundum (: quoad id quod dicit in recto, qui est ipse actus immanens, n. quoad id, quod connotat in obliquo, quod est qualitas impressa, c. Sic actus Dei liber est ipse actus necessarius, quatenus in obliquo connotat creaturas, extr. de Deo n. 620. :) ergo.

Ob. 8. inst. Voluntas, sine qualitate superaddita, intellectum ad intellectionem applicat (: physice n. moraliter c. :) per solum quasi imperium: ergo & Deus ita applicare potest causam creatam à potentia ad actum (: n. c. Quia Deus applicat physice: quod per solum imperium fieri non potest; siquidem hoc influat moraliter duntaxat: nam physica motio debet recipi in mobili intrinsece, veluti patet in Angelo, corpus movente: qualiter decretum illud utique non recipitur :) )

Premes: Si Deus movendo imprimit aliquam qualitatem velut Angelus, tunc Deus non habet perfectiorem causalitatem ad extra quam Angelus (: n. hoc; quia operatio virtualiter transiens distinguitur ab Angelo realiter, à Deo autem tantum virtualiter. Sic Deus adhuc habet perfectiorem modum essendi in loco quam Angelus, etsi uterque in loco sit per operationem virtualiter transeuntem, extr. de Deo à n. 126. Praeterea: prae-motio supernaturalis, sc. gratia efficax, consistit

fistit in qualitate superaddita, ex tr. de Grat. n. 173. ergo & præmotio naturalis:)

767 Ob. ult. Præmotio etiam nequit consistere in qualitate transeunte; ergo. a. p. Qualitas illa, utpote agens secundum, indigeret iterum alia præmotione (: si non esset ipsa ratio formalis applicandi c. secus n. Sic ad calorem ut calefaciat, non requiritur alius calor:) & sic in infinitum: ergo. Quin: illa qualitas creata deberet attingere omnes modos entis (: sub ratione universali, qualiter attingit Deus dum creat, n. sub ratione particulari & individuali, cui Deus se accommodat, c. :) ergo. Imo: si præmotio esset qualitas creata, tunc Deus operationem creaturæ operaretur tantum mediate, vid. mediante præmotione, quæ est qualitas (: habens rationem applicationis & motus c. secus n. Sic motus, quo calor producit calorem, non impedit, quin immediate illum calorem producat:)

### ARTICULUS III.

*Utrum præmotio physica tollat libertatem creatam?*

768 Prænot. 1. Libertatem esse facultatem seu potentiam, *vi cuius voluntas, positis ad agendum requisitis omnibus, potest agere vel non agere.* Unde ad libertatem requiritur indifferentia, non quidem privativa seu suspensiva (qua voluntas manet suspensa ab omni actu) sed negativa, seu positiva, & dominativa, qua voluntas elicit quidem unum actum sed cum potestate non eliciendi illum.

769 Prænot. 2. Quod quamvis necessitas absoluta tollat libertatem (eoquod tollat omnem indifferentiam) illam tamen non semper tollat necessitas conditionata, nempe tunc non, si oritur ex suppositione vel formaliter vel causaliter libera; secus enim causa libertatis destrueret libertatem: quod æque absonum est, ac si quis diceret, quod causa non poneret sed destrueret effectum.

770 CONCLUSIO: Præmotio physica non tollit, sed causat libertatem humanam. Ita iterum omnes & soli TT. ex S. D. 1. p. q. 83. a. 1. dicente: *Deus movendo causas voluntarias, non aufert quin actiones earum sint voluntariae, sed potius hoc in eis facit &c.*

771 Prob. 1. pars: per propriam meam determinationem non tollitur mea libertas; ergo nec per Determinationem Dei: cum Deus magis nostras voluntates, omnesque ejus modos in sua potestate habeat quam nos ipsi. Nec obest, quod illam non possimus abjicere: nam etiam gratia efficax non potest abjici, & tamen non tollit libertatem. Præcipue: cum à prima radice libertatis proveniat: ergo.

772 Prob. 2. pars: Deus per præmotionem causat non tantum substantiam actus, sed etiam omnem ejus modum & perfectionem: atqui libertas est modus & perfectio actus; ergo illam causat. Præsertim: quia per præmotionem tantummodo

nos applicat ad eligendum id, quod per deliberationem nobis expedire judicamus; imo intellectum applicat, ut formet *judicium indifferens*, de objecto, voluntati proposito; ergo.

Confirmatur: Deus, quia est *primum ens*, 773 ideo causat *omne ens*: ergo quoque quia est *primum liberum*, causat *omne liberum*; utpote causans omnem modum: secus creatura foret in *determinando* summe actualis (quia nullam haberet potentialitatem & indigentiam) uti Deus, qui à nullo principio extrinseco dependet.

Objicies 1. Stante præmotione voluntas 774 non determinat seipsam (: *æ. d. a. formaliter n. causaliter c.* quia non est determinans *primum*:) ergo tollit libertatem. *c. p.* Illa determinatio (: *formalis n. causalis* subd. ratione sui c. ratione termini n. :) non est voluntaria; cum non sit à principio intrinseco (: ratione sui c. ratione termini sc. actionis liberæ n. Sic Deus adhuc est liber, etsi in sententia RR: determinetur à creatura ad concursum simultaneum :) nec relinquat indifferentiam (: *suspensivam c. dominativam n.* hæc autem sufficit: nam Deus est perfectissime liber, etsi non habeat indifferentiam suspensivam :) ergo.

Dices: Quia intellectus determinatur à voluntate, non amplius determinat seipsum: ergo etiam causa libera, quia determinatur per præmotionem, non amplius se determinat (: *n. c.* Quippe per præmotionem causa determinatur, ut se determinet: non sic intellectus à voluntate:)

Ob. 2. Voluntas, præmotà ad amandum, 776 non habet potentiam proxime expeditam ad non amandum: ergo non amat libere. a. p. caret aliquo essentialiter requisito (: ex parte actus primi n. ex parte actus secundi c. Sic sine concursu simultaneo creatura non potest exire in actum, & tamen ille concursus non est ex parte actus primi & proximi :) ad non amandum, sc. præmotione: sic ligatus vinculis non est proxime expeditus ad ambulandum (: n. parit. Nam vincula non excitant & applicant operi, nec ex nolentibus volentes faciunt, quemadmodum facit præmotio. Deinde: vincula se tenent ex parte actus primi; præmotio autem ex parte actus secundi: est enim *reductio* actus primi ad actum secundum :) ergo.

Ob. 3. Præmotus ad amandum non potest 777 non amare; ergo. a. p. Posito amore, non potest poni non-amor (: in sensu composito, id est, stante amore, c. in sensu diviso n. Sic etsi Petrus sedens non possit non sedere in sensu composito, tamen sedet libere, quia potest non sedere in sensu diviso :) sed præmotus ponit amorem (: *æ. aliter: libere c. necessario n.* :) ergo non potest ponere non amorem.

Instabis: Potentia illa non amandi nunquam 778 potest redigi in actum (: absolute n. ex suppositione actus oppositi c. :) ergo est frustranea (: n. c. Secus

Secus in Petro *sedente* potentia non *sedendi* esset frustranea :)

779 Ob. 4. Præmotio ante omnem *propriam* determinationem *inimpedibiliter* determinat ad *unum* (: per modum *natura* & coactionis n. per modum *primi liberi* c. :) ergo infert necessitatem (: *infallibilitatis* c. *coactionis* n. Relinquit enim potentiam & *judicium indifferens* ad oppositum; quod non habet Beatus, & ideo necessario amat: Sic etsi ex *mea* determinatione actus sequatur infallibiliter, non officit libertati :)

780 Replicas: Catenatio non aufert *judicium indifferens* (: t. quia ligatus prudenter *non potest* velle ambulare; siquidem potentia non sit *proxime* expedita :) tamen aufert libertatem: ergo etiam præmotio, etsi non auferat *judicium indifferens*, nihilominus aufert libertatem (: n. c. Quippe præmotio, utpote *causans omnem modum* actus, est causa libertatis: quem *modum* si etiam catenatio daret, libertati non officeret :)

781 Ob. 5. Præmotio non est in *nostra* potestate (: *originative*, & ut eam habeamus c. *terminative*, & ut eidem *consentiamus* n. :) ergo non potest stare cum libertate (: n. c. Secus nec *possio* in similibus *circumstantiis* staret cum libertate; cum juxta RR. etiam non sit in potestate creaturæ :) c. p. Qui non est dominus antecedentis, etiam non est dominus consequentis (: nisi *antecedens* faciat *dominum* c. si faciat, uti facit *præmotio*, n. :) ergo.

782 Ob. 6. Præmotus ad amandum non potest non amare etiam in *sensu diviso*; aliàs præmotionem posset reddere inefficacem: quia quod *actus* facit *actualiter*, hoc *potentia* facit *possibiliter* (: si potentia & actus sibi invicem correspondent c. secus, sicut hic contigit n. Nam *potentia* ad non amandum est potentia respiciens negationem amoris ut ponendam tantum *ut divisim* ab amore: econtra si præmotus ad amorem actu non *amaret*, actus ille esset ad negationem amoris ut *conjungendam* cum actu, sicque simul essent amor & non-amor :) ergo.

783 Insistes: Si præmotus *potest* non amare in *sensu diviso*, ponamus quod *actu* non amet (: n. *supp.* quod possit negationem *actu* ponere: sic Petrus *sedens* non potest *actu non sedere* sed tantum *possibiliter* :) ergo præmotionem actu reddet inefficacem.

784 Clamas: Possibili posico in actu, nullum sequitur inconveniens (: si ponatur *eo modo*, quo poni potest c. secus n. :) atqui tunc præmotio reddetur actu inefficax; ergo. *Vid. tr. de Incarn. n. 601.*

785 Ob. 7. Agens *liberum* (: libertate *suspensiva* c. libertate *actuali* & *dominativa* n. :) debet posse agere & non agere: atqui posita præmotione non potest non agere (: in *sensu composito* c. in *sensu diviso* n. :) ergo.

786 Urgebis: In eodem instanti (: *formaliter* n. *materialiter considerato* c. :) quo voluntas præ-

moveretur ad blasphemiam, tenetur ad dissentium: ergo in sensu composito debet posse resistere præmoti: (: n. c. Alioquin etiam in concursu *simultaneo* poneretur blasphemia, & simul deberet posse poni negatio blasphemie :) )

Ob. 8. Juxta S. Script. Deus hominem relinquit in *manu* consilii sui (: tanquam agens & liberum *secundum* c. secus n. :) Item frustraneæ essent exhortationes ad bona opera, quæ sine præmotione sunt impossibilia (: n. hoc; quia bene operari *possimus* per gratiam *sufficientem*, omnibus præsentem :) Imo: bona opera non essent laude digna; quia infallibiliter sequuntur præmotionem (: sequela *coactionis* n. *infallibilitatis* c. :) atqui hæc sunt absurda; ergo. *Vid. tr. de Gratia à n. 66. 173.*

## ARTICULUS IV.

& ultimus.

An præmotio physica faciat Deum authorem peccati?

**P**rænotandum: Quoniam antea dictum est, Deum præmovere *omnem* creaturam ad operationem, jam dubium suboriri, an non Deus exinde fiat *author* peccati, dum præmovet ad actum *peccaminosum*. Pro hujus resolutione advertendum, in actu peccaminoso, ceu concreto quodam morali, duo involvi, sc. *materiale* (quod est ipsa physica entitas actus pravi) & *formale*, quod est malitia huic actui annexa seu difformitas ejus ad regulas morum. Nunc sit ultima

**CONCLUSIO:** Deus per præmotionem physicam causat quidem *materiale* peccati: non tamen *formale*: adeoque non est *author* peccati. *Ita communis TT. ex S. D. 1. 2. q. 79. a. 2. & passim alibi.*

Prob. 1. pars: *Materiale* peccati est *actus* & effectus aliquis causæ creatæ *physicus*: ergo, ceu *ens participatum*, dependet à physico influxu Dei, ceu causæ & *entis primi*.

Prob. 2. pars: *Formale* peccati non continetur *intra* sphaeram Divinæ causalitatis; quia (cum sit *defectus* à bonitate) non est *ordinabile* in Deum ceu ultimum finem; ergo non potest causari à Deo; nam hic eo modo est *primum principium*, quo modo est *ultimus finis*.

Prob. 3. pars: *Connexio* inter *materialis* & *formale* peccati non facit, *authorem unius* necessario esse *authorem alterius*; ergo. a. p. Sic Deus per concursum *simultaneum* attingit *materiale* peccati absque eo quod attingat *formale*: sic Christus est causa physica actionis Sacramentalis *qua consecrative*, non tamen *qua sacrilega*: sic anima causat *motum* progressivum, non tamen ipsam *claudicationem* &c. ergo.

Objicies 1. cont. 1. part. Deus prohibet ipsam *entitatem* actus peccaminosi v. g. *furti* (: *ri. d. a.* quatenus à voluntate creata *defectuose* ponendi c. quatenus *ponendi* à præmotione,

abstrahendo à defectuositate peccati n. :) ergo ad illam non præmovet.

794 Infs: Ergo creatura potest velle materiale peccati. S. p. Deus potest illud velle: ergo & creatura (: n. c. Quia Deus abstrahit à formali; creatura autem tanquam principium defectivum ponit illud tanquam fundamentum proximum malitiæ formalis :) c. p. Creatura non peccat, dum se conformat voluntati Divina (: approbative c. permissive n. :) ergo.

795 Ob. 2. cont. 2. part. Formale peccati infalibiliter sequitur ad materiale (: quatenus causatur à creatura c. quatenus causatur à Deo n. :) ergo si Deus causat materiale, etiam causabit formale (: si possit agere defective c. secus n. :) c. p. Qui causat antecedens, etiam causat consequens: ergo.

796 Ob. 3. Quod est causa causæ, est etiam causa causati (: si fervetur eadem series causalitatis c. secus n. Actus autem peccaminosus secundum malitiam causatur deficienter, non efficienter, sicut causatur à Deo secundum entitatem :) atqui Deus præmovendo causat actum peccaminosum; ergo etiam malitiam.

797 Infs. Qui est causa formæ, est etiam causa privationis ad talem formam secutæ (: si illa privatio sequatur ex vi illius formæ c. secus n. :) idem enim ignis, qui est causa caloris, est etiam causa privationis frigoris: ergo si Deus est causa actus peccaminosi, qui est forma, erit etiam causa privationis secutæ: atqui hæc privatio est malitia, ex tr. de Vit. & peccat. à n. 34. ergo.

798 Ob. 4. Homo causat malitiam, quia causat actum (: effective n. quia causat defective c. :) & quidem libere (: libertate defective c. secus n. :) atqui Deus præmovendo causat etiam actum & libertatem (: effective c. defective n. :) ergo.

799 Infs: Ipsa malitia est aliquis modus (: physicus n. moralis & quidem defectuosus c. :) actus peccaminosi: ergo etiam hanc debet causare; aliàs creatura in genere moris mali, erit primum agens (: effectivum n. defectivum c. :)

800 Ob. 5. Si Deus præmoveret præmotive morali, esset causa peccati formalis: ergo etiam quando præmovet physice. c. p. Præmotio physica est efficacior (: intensive, hoc est manendo in linea entis c. extensive, attingendo lineam moris n. :) quam præmotio moralis; ergo.

801 Ob. 6. Magistro, ducenti manum pueri, adscribitur curvitas lineæ; ergo etiam Deo præmovendi adscribetur defectus actus peccaminosi (: n. c. Quia deformitas peccati non continetur intra objectum omnipotentia Divina; qualiter tamen continetur intra objectum potentia scribendi curvitas lineæ :)

802 Replicas: Si claudicatio esset peccatum, hoc adscriberetur anima, etsi anima motum progressivum causet duntaxat quoad substantiam; ergo pariter claudicatio moralis sc. deformitas peccati adscribetur Deo (: t. a. n. c. quia Deus præ-

movendo agit ut causa universalis, quæ ex malo particulari potest facere bonum universale; adeoque non tenetur id impedire: econtra anima, ceu causa particularis, teneretur illud peccatum impedire, seu non permittere :)

Ob. 7. cont. 3. part. In S. Script. 2. Reg. 16. 803 Dominus præcepit Semei, ut malediceret Davidi (: positive n. præcepit tantum permissive c. Sic Mars. 10. dicitur: Moyses MANDAVIT vobis libellum repudii id est permisit :) ergo Deus potest dici causa peccati (: positiva n. permissiva, quatenus non dat auxilia, quæ tamen, upote dona mere gratuita, nemini dare tenetur, c. :)

Ob. 8. Peccata hominum cadunt sub Dei 804 providentiam (: approbantem n. permittentem c. :) ergo. a. p. Pœnitentia cadit sub providentiam approbantem: ergo & peccata. c. p. Peccata sunt necessaria ad positionem pœnitentiæ (: tanquam permissa c. tanquam amata n. :) ergo.

Repones: Etsi Deus causet meritum quoad 805 omnem rationem in eo repertam, inde tamen non sequitur, quod Deus possit mereri: ergo quoque etsi causaret peccatum quoad omnem rationem, nihilominus inde non sequitur, quod Deus possit peccare (: n. c. Quia, ut quis dicatur mereri, requiritur, ut à merente procedat elicitive: at vero ut quis dicatur peccare sufficit, si concurrat ad peccatum :)

Ob. ult. In homine potentia peccandi est à 806 Deo (: formaliter & quatenus defective est n. materialiter & quatenus effectiva, in quantum nempe est causa illius tantum, quod est materiale in peccato, c. :) ergo & peccatum est à Deo (: quoad materiale & quatenus est effectus c. quoad formale & quatenus defectus est, n. :) c. p. Alioquin daretur aliqua potentia, quæ non foret à Deo (: quoad entitatem n. quoad defectibilitatem c. Taliter autem non est potentia sed impotentia; siquidem posse deficere non sit aliquid posse, sed potius non posse :) ergo.

Finies: Quamvis Deus sit pura actualitas, 807 cui directe opponitur potentialitas materia primæ, nihilominus Deus hanc efficienter causare potest: ergo quoque, etiamsi Deus sit summa bonitas, cui directe opponitur formalis malitia peccati, hanc tamen Deus sine omni absurdo efficienter causare poterit (: n. c. & c. Quia materia prima propter rationem entis, in omni sua formalitate transcendentaliter imbibitam, non omnino opponitur Deo, veluti tamen eidem opponitur malitia formalis. Hac in octo libris Physicorum dicta satis sunt, ut universalissimus omnium Motor & Præmotor

IN OMNIBUS GLORIFICETUR DEUS.  
S. P. B. S. R. c. 57.

